IOANNIS REVCHLIN PHORCENSIS LEGVM DOCTORIS LIBER SECVNDVS.

ABEVNTIBVS inde utrisque Philolao iuniore Marrano; domum, uarius inter eundum erat sermo, & nõ ineptus, quippe doctis supra modum philosophis de hoc ipso Hebræo, cuius cum summa doctrina singularem etiam commendabant erga peregrinos humanitatem, & in omnibus atq; præ omnibus morum dignitatem. Placuerunt cuncta eius hominis, præter unum istud Sabbatum futuro (ut iudicarunt) tædio plenum, quo à tanti magistri gratissimo colloquio diuellerentur, & in diem reijcerentur usq; adeo tertium, non absq; temporis molesto dispendio, cum quid acturi essent luce crastina, ignorarent. Tum ambulando ita ruminati acceptæ succum doctrinæ, breues dictorum epilogos mutuo percensebant. Ardentibus autem illis discendi feruore uenit in mentem & redijt subito in memoriam admirabilis uiri Iudæi oratio, disputandi acrimonia, institutio grauis & erudita quæ sine satietate delectet, non fucata, non colorata, sed quæ ubi maxime careat floribus ibi plurimum pariat fructus. Cumq; se iam ab itinere in diuersorium corripuissent, mox in ipso consessu antequàm respirassent cœpit ita Marranus. Omnium sapiẽtum quos equidem à teneris audiuerim annis, haud scio an ullus fuerit unquam qui argutior in dicendo & sublimior in sentiendo uisus mihi sit hoc uno Simone, quem uel reminiscens iam memoria teneam, ita sermone suo tametsi plano, simplici non affectato, non domi quæsito, minimeq; Demosthenis oleum olente, sed magis extemporali & quotidiano meum animum ad ardua contemplanda excitauit, ut nihil conceperim gratius. Dij boni, homo Iudæus ex Iudæis ortus, alitus, educatus, & edoctus, quæ natio ubique gentium barbara, superstitiosa, uilis abiecta, & à splẽdore omnium bonarum artium aliena est habita, perpetuam crede mihi hanc noctem procliui desiderio meo uiri huius uidissem uultus, audissem uerba loquentis, si non miserum hoc uesperi Sabbathum interueniisset. Tum Philolaus, Ne Græci quidem omnes, inquit, quibus omnium consensu tribuitur multarum artium disciplina, ingeniorum acumen, dicendi copia, tam ascendere potuissent in alta rerum arcanarum fastigia, nisi fortè unus Pythagoras ille meus, philosophiæ pater, tamen qui non à Græcis eam doctrinæ præstantiam, quin potius ab illis ipsis Iudæis receperit. Itaq; receptor optimo iure ipse quoque, id est Cabalista nominandus erat, quamuis ut post diuturnam peregrinationem è longinquo aliquid admiratione dignum referret in patriam, quod facilius

uulgo crederetur, ipse nomen illud Cabalæ suis incognitum primus in nomen philosophiæ Græcum mutauerit. Quod eo argumento rectè conijcimus, quia nullam discipulis suis reliquit aliqua ratione perquirendi facultatem, quin id primum sui dogmatis principium esse uoluit, ut quærentibus causam responderent αὐτὸς ἔφα. id est, Ipse dixit, more Cabalistarum, qui fermè haud aliter rerum cognoscendarum rationes citant, quàm quòd aiunt אמרי חכמים id est, Dixerunt sapientes. Sic noster ille αὐτὸς ἔφα. id est, Ipse dixit. Ipse autem idem est Pythagoras, qui hoc modo philosophiæ nomen indidisse perhibetur, quoniam summi Hebræorum autores Hachamim & Græcorum ante se olim Sophi cognominarentur, ita ueterem disciplinam noui conatus est nominis ornamento uestire. Non autem eo tibi debent minori præconio digna uideri, quæ Simon Iudæus protulit, quòd sint ab ignobili Hebrææ gentis doctore, tanquam ex barbaris autoribus desumpta, & ab homine barbaro allata, quando idem omnium maximus noster Pythagoras simul cum barbaro quodam nominis Zora, scientiarum prima studia inijt, adeoq; id extra Græciam, quo tempore apud Ægyptios secum philosophati sunt, qui tum dicebantur prophetæ, & Assyriorum Chaldæi & Gallorum Druidæ, & ex Bactris Samanæi, & Celtarum non pauci, & apud Persas Magi, & apud Indos Gymnosophistæ, & ille Anacharsis apud Scythas, & in Thracia Zamolxis antè ipsius Pythagoræ seruus, quod omne Alexander ille cognomento Polyhistor, in libro περὶ πυθαγορικῶν συμβόλων. Id est, De Pythagoricis notis, scriptum reliquit, & apud Indos deniq; Iudæi quos appellarunt Brachmanas, ut Aristobulus Peripateticus meminit. Sanè licet uera dicere, non est certè usquam repertus Pythagoras quicquam rerum aut diuinarum aut humanarum uel à Græcis didicisse uel à Romanis. Sed ut Antiphon ædidit in libro περὶ τοῦ βίου τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων. id est, de uita eorum qui uirtute præstiterunt. Accessit discendi gratia Pythagoras ad Ægyptios & Arabas, & ad Chaldæos postquàm è Syria quæ & est & nominatur Iudea Pherecidem sibi magistrum & præceptorem nactus fuisset. Vnde Syrius uulgo ipse quoq; tum appellabatur, quem alij Tyrium dixere, alij Tyrenum ὥς τε βάρβαρον ἀλλ' οὐχ ἕλληνα γεγονέναι τοῦτον ὁμολογεῖν τὸν πρῶτον φιλοσόφων. id est, ut barbarum & non Græcum fuisse prædicarent hunc omnium philosophorum primum. Hæc Marrane conuiua mi doctissime penes Eusebium Pamphili scripta legisti certo scio, in uolumine, si ritè recordor, de præparatione Euangelica undecimo, qui & hoc addidit, μόνον ὅτι πρὰ τῶν σοφῶν ἑλλήνων ἔχειν οὐδὲν, πενίᾳ σοφίας καὶ ἀπορίᾳ συνοικούντων. id est, Tantum quòd à sapientibus Græcis habuit nihil, penuria sapientiæ ac indigentia cohabitantium. De quibus, ut est in Timæo Platonis, barbarus quondam Ægyptius, isq; ualde senex, uere admodum uisus est Soloni dixisse,

dixisse, O Solon Solon, Græci semper pueri estis, nullam habentes antiquam opinionem, nullam disciplinam tempore canam. Nec illud nō erit maxime laudandum in Pythagora præstanti sapientia & nobilitate uiro, quòd in alieno & longinquo solo, quæ à barbaris hominibus labore ingenti algu & sudore multa commentatione atque meditatione, non paucis etiam annis corrasit: ea non dicam meliora, sed tamen splendidiora in patriam, ac usque adeo in Italiam, quæ tunc magna Græcia dicebatur, ceu humeris ipse suis reportauit cum incredibili cunctorum de se atque suis sectatoribus admiratione, ita ut omnis qui sapientia & doctrina excelleret, Pythagoræ auditor fuisse crederetur. Vnde philosophia Italica potissimum ab illo nomen accepit. Adstipulatur huic laudi Numenius Pythagoricus in primo uolumine de Bono, cum ait, quòd Plato atque Pythagoras quæcunque Brachmanes Magi, Ægyptij, Iudæiq; inuenerunt, ea Græcè ipsi exposuerunt. Quo uehementissime suspicamur, uerum esse quod asserunt uiri Doctissimi, & uariarum Linguarum periti, Iudæorum quæque tam recepta, quàm inuenta exponi alienis furtis hinc Græcorum inde Latinorum, nihilq; nostrum esse in Philosophia, quod non antè Iudæorum fuerit, quantumuis hoc seculo adimatur eis merita gloria, & nunc uniuersa eorum contemnantur, quoniam præsens ætas omnium studiorum explicationem magis illustrem perpolitamq; desiderat. Tum uera, optime Philolae, refers, inquit Marranus, quo magis assentiar Euripidis Hecubæ, λόγος γὰρ ἐκτ' ἀσθξούντων ἰὼν ἐ' ἀκτῶν δυσούντων αὐτὸς οὐ ταυτὸν δίνει. Id est, Sermo nanque ex ingloriis progrediens atque glorioſis, idem non idem ualet. Nam si Aristoteles aliquis, aut Theophrastus quispiam ea protulisset, quæ nos Simon hodie docuit, nihil omnium sententia esset dignius auditu, nihil grauius, nihil memorabilius, addidisset tantummodo dicendi genus magis æquabile & aliquem eloquentiæ fucum. Nunc quoniam Iudæus est, qui suo more agrestius paulò & pressius rem omnem tractauit, haud dubium quin sordida sint futura in auribus illorum nostro æuo Sophistarum, ut ipsi sibi uidentur planè persubtilium, si qui audiant, aut sint audituri, uel potius uniuersis nunc aut prauè aut stultè philosophantibus, appareant implicata, obstrepera, hiulca, ieiuna, horrida, rusticam asperitatem & peregrinam insolentiam sonantia, tametsi etiam (ut mos eorum fert) prius non quantum oportet examinata quidem, quasi aurum, non sit aurum, quod in luto quærimus. Post uerò quàm ab hoc iam homine in diuersorium ecce nostrum recta uia nullo monstrante rediuimus, quando cœna fortè nobis præstinata nondum est, consulo ut quisque sua recitemus inter nos, præsertim digniora quæ audiuimus, & figamus memoriæ, ne labantur, dum recens omnia tenemus. Et Philolaus, Quàm

prudenter ait illa præcogitasti Marrane, sic enim ad audiendum paratiores uirum accedemus perendie post hoc Sabbathi mõstrum cultaq; Iudæo (ut ait Ouidius) septima sacra uiro. Interea tu sellam hanc arripias, ego alteram, & considentes dicamus celeriter de omnibus donec apparentur quæ ad cœnam congruant. Cæterum ne detur frustra contentioni locus cum soli simus, id enim aliud nihil esset quàm tempus perdere, tu prior quicquid in buccam uenerit uel præteritorũ aut præsentium recordandi uel commentãdi gratia quocunq; accidat modo, eloquere. Sic igitur Marranus exorsa texuit. Et quãquam negocium omne, inquit, circa quod postmeridiano hoc tempore conuersati sumus mihi singula examussim perpẽdenti uideatur esse altius, quàm ut id nos humi strati suspicere possimus, tamen sæpenumero quæ hominibus prima specie apparent ardua & impossibilia tandem continuis & indefessis exercitationibus duroq; labore fiunt & plana & facilia, iuxta Maronis illud, Labor omnia uincit. Idcirco libenter in medium conferam quæ ab isto me audiuisse meminero, addamq; illis quid ipse sentiam Hebræus sane præceptor noster de Cabala nobis petentibus tractaturus commodum ostendebat, eo nomine quid sit intelligendũ. **Nam** Cabala receptionem designat, simul & hoc attulit quòd ea nostris animis esset insita semper ad summa conditione naturali tendentibus, quapropter eius desiderium nobis constaret ingenerari, & quòd summæ res ac diuinæ sublimiores haberentur atque digniores, quàm quòd ratione humana comprehendi ac discerni queant. Id autem triuiale idoneis peripateticis est dogma, ut enim principio meos Arabas cum quibus mihi extat solita familiaritas citare liceat. Alpharabius in libro quem de scientijs præscripsit, hac utitur sententia, quod res diuinæ ac pia fide credibiles, sunt altioris ordinis, cum sint assumptæ ab inspiratione diuina, quoniam in eis sunt secreta diuina, à quorum cõprehensione debilitantur rationes humanæ, neq; consequuntur ea. Hæc Arabs ille, quod & Simon noster affirmauit, qui eos ordines appellat regiones, & in animæ nostræ tertiam regionem constituit res incorporeas ac substantias ab omni materiæ pensione liberas & immunes, non quæ Antisthenes cogitauit phantastica illa & logica uniuersalia. Sed ipsas inquam reales formas, species, ideas, essentias, quæ sunt res altissimæ, circa quas uersantur Cabalistæ, ut audio, contemplationibus suis prope inenarrabilibus, & ea singula quæ nos sentire aut scire arbitramur, huc conferunt, ac demum uniuersa in unum quod est ipsum bonum atq; primum per media reducunt, tanquam ad nostræ mentis saluberrimum finem. Quod Aristoteles in 14. libro eorum quæ Postnaturalia scripsit, id quod est αὐταρκὲς καὶ σωτηρία Id est, Sibi sufficiens & salus esse dixit, & Simon Hebraicè ישועה nominauit. Sicut & regius Psaltes ait, Domini est salus, & super hanc generis humani salutem,

omnium

omnium Simon Cabaliſtarum fundamẽta iecit, quæ nec ſint à ratione inueſtiganda, nec per rationem inueſtigata, ut quibus nec ſenſus præbuit hypoſtaſim, nec intellectus diſciplinam, ſumma enim ſunt, & quorum cauſa nequeat adæquata reperiri, à quorum cognitione diſertiſſimus ſectæ peripateticæ Theophraſtus ſcientiæ abſtulit facultatem, ſic enim in ſuis Supernaturalibus ſcripſit, Μέχρι μὲν ὧν τινῶν δυνάμεθα δι' αἰτίου θεωρεῖν, ἀρχὰς ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων λαμβάνοντες. ὅταν δὲ ἐπ' αὐτὰ τὰ ἄκρα καὶ πρῶτα μεταβαίνωμεν, ὅτι ἐπὶ δυνάμεθα. εἴτε διὰ τὸ μὴ ἔχειν αἰτίαν, εἴτε διὰ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν. Id eſt, Vſq; ad aliquid quidem poſſumus per cauſam ſpeculari, principia à ſenſibus ſumentes, quando autẽ ad ipſa extrema & prima tranſierimus, nõ amplius poſſumus, ſiue propterea q̃ non habemus cauſam, ſeu propter noſtram infirmitatẽ. De ſupernis enim & diuinis, quibus nihil eſt prius, undénam quæſo poſſet demõſtrationis aliquod mediũ ſumi? Quare Plato ait in Timæo, q̃ illa explicare plus eſt q̃ noſtræ uires ſufficiant, credi autem ijs iubet, qui antè dixerunt quanq̃ nulla demonſtrationis neceſſitate loquantur. Hæc ipſa Platonis uerba & ueri ſapientis mandata ego tanti exiſtimo, ut ea oraculi mecũ loco duxerim habenda. Et ſi ulla Cabalæ rata & ſtata fundamẽta ſunt, hæc ſunt: Quapropter acerrimum diuinæ cognitionis mera & nuda fide conſtantis, hoſtem & inſidiatorem arbitror logicum eſſe ſyllogiſmum, qui Theoſophiſtarum auſu atq; uſu, Deum & angelos mentesq; beatas & ſimpliciſſimas ultra mundani ſeculi uirtutes & omne ſimul æternitatis agmen, & quicquid eſt uſquam hiſtoriarum de rebus ſupernaturalibus, id totum humanę mortalitati ſubijciat rationis diſcurſu inueniendum, probandum, dirigendum. Perinde atque illas tam illuſtres ſubſtantias in Tullianum aliquod includere conetur. Hoc nimirum eſt louem uincire uelle ac ſalice uiminea, aut reſti nautica ligare. Quod ne Thetis quidem (autore Homero) permitteret, aut Centimanus Briareus ille Ægeon. Quo magis contentioſos theologiſtas & nugiuendos ſophiſtas iudicabo cœlitum & ſupercœleſtium expugnatores non minus eſſe, quàm Aloidas geminos immania corpora, ut ait Virgilius, qui manibus magnum reſcindere cœlum aggreſſi. Haud ſecus atque Sinaaritas ac Babylonios olim filios Adam, hoc eſt, ex humana imbecillitate, quam in ſe non agnouerunt prognatos, turrim altiſſimam exædificantes, cuius culmen pertingeret uſque ad cœlum, Primores בלבל Balbel, id eſt, Confuſionis authores: unde Babel, quam uos Babylona dicitis, Nec alterum alterius linguam intelligentes. Per hos enim garrulos ſyllogiſtas, in rebus credendis pietas erga diuinorum uniuerſitatem omnis amittitur, atque uincendi ſtudio fraternum odium concitatur, uenaticos canes ad ſeditionem paratiſſimos, ſummę contemplationis uenenum orbe toto expellendum. Triumphent hæc, ſi fas eſt ſyllogiſmorum artificia, in natura & humanis

inuen

inuentionibus atq; figmentis. Sed in sacris oraculis locum sibi ne sperent ullum. Hoc enim Parmenides apud Platonem de substantijs separatis Socrati dogma tradidit, ita dicens, ἀλλὰ ὁμοίως ἡμεῖς ἐκείνων οὐκ ἄρχομεν τῇ παρ' ἡμῖν ἀρχῇ, οὐδὲ γιγνώσκομεν τοῦ θείου οὐδὲν, τῇ ἡμετέρᾳ ἐπιστήμῃ. Id est, At similiter nos illis nō imperamus nostro imperio, neq; cognoscimus diuini quicquam nostra scientia. Ei sermoni & peripatetici astipulantur, & Aristoteles ipse tum artifex tum organum, ut aiunt, sciendi, cum in resolutiuorum posteriorum uolumine primo, immediatorum scientiam esse indemonstrabilem affirmat. Post paulò inquit, Et non solum scientiam, sed & principium scientiæ esse aliquod dicimus quo terminos cognoscimus. Principium scientię Themistius ibi appellat nostram mentem, terminos uero ex quibus uidelicet componuntur dignitates maximæ subiectum & prædicatū. Sed Philoponus qui uulgò nominat̄ Ioannes grāmaticus explanauit hæc non parum sublimius & uerius, ita scribēs, ὁ μὲν φιλόσοφος τὴν ἐξήγησιν τοῦ προσκειμένου ῥητοῦ οὕτως ἀπέδωκεν. ἀρχὴν μὲν ὑπιστήμης τὸν νοῦν εἰληφὼς οὐ τὸν ἡμέτερον ἀλλὰ τὸν θεῖον καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς. ὅρους δὲ τὰ νοητὰ καὶ θεῖα εἴδη. ὅρους δὲ αὐτὰ καλεῖσθαι διὰ τὸ πέρατα εἶναι πάντων. Id est, Philosophus hic quidem enarrationem præiacentis dicti sic tradidit: Principium quidem scientiæ. Mentem accipiens, non nostram, sed diuinam & supra nos. Terminos autem ipsas intellectuales & diuinas formas. Terminos quippe illas uocari, propterea quòd fines sint omnium. Cognitio itaque supernaturalium creditorum à mente pendet, non à ratione, quæ ratiocinando potest errare. Sic enim idem scribit Aristoteles, ὑπιδέχεται τὸ ψεῦδος οἷον δόξα, καὶ λογισμός. Id est, Suscipit falsum, ut opinio, ita etiam logismus, quod est ratiocinatio. Vnde syllogismus nuncupatur. Idem denique concludit posteriora sic: Scientia, inquit, omnis cum logo, id est cum ratione est. Principiorum, scientia quidem non utique erit. Quoniam autem nihil uerius contingit esse scientia quàm mentem, mens utique erit principiorum. Principia uerò dicuntur res primæ, & Hesiodus prisciq; omnes Theologi deos fecerunt esse principia, igitur hæc cognitio proprie nominatur Diuina. Et ut in Postnaturaliū primo ille idem Stagirita scripsit, eius est possessio δικαίως ἂν οὐκ ἀνθρωπίνῃ. Id est, Iuste utique non humana, quòd uel solus uel omnium maxime illam Deus habeat, & indignus sit homo quærere circa eum ullam scientiam. Deus enim solus hunc habet honorem iuxta Simonidem. Sed cum nobis nihil magis conducat ad beatitudinem q̄ summarum & diuinarū rerum cognitio, qua (te rogo) uia Philolae alia homini ad eas pergendum est, si nō scientia? quibus ue modis cōprehendenda tanta summitas? Tum Philolaus, Per ecastor ipse tu, iter ostendisti planum atque patens. Cum enim quinque sint cognitionum opifices, Ammonio teste, post Aristotelē, qui eorum quatuor tantum in primo de Anima libro meminit. Sunt autē νοῦς, διάνοια, δόξα, φαντασία, αἴσθησις.

Id est,

Id est, Mens, discursus, opinio, imaginatio, sensus. Mens quidem & sensus non syllogissant, alterum longè superius, alterum multò inferius ratione. Sed nec imaginatio quoq; cum sit statio sensus & apparitionum inde migrantium reseruatio. Sensibus autem nequaquam ratiocinantibus, ne putandum quidem est apparentia sensuum ratiocinari posse. Restabunt igitur opinio & discursus, at opinio est ipsius discursus conclusio, quapropter ea ipsa non syllogissat, soli ergo discursui quæ dianœa nominatur relicta est syllogissandi facultas: hucusq; Ammonij sententia est in commentarijs quæ ædidit ad Aristotelis prima resolutiua. Et quoniam attigi enumeratione comprehensiones & comprehensa breuiter, ne uagetur oratio mea longius, opinor diuina esse supra syllogismum, nec ratione humana intelligi posse quæ non ducant originem cognoscendi à sensu, sed ex mera dependent fide, tantum ob amorem reuelantis recepta & hominum beatitudinem credita. Sunt tamen plurima sanè quæ sic diuinæ se speculationi sæpe immiscent, ut unius familiæ solent quandoq; liberti & inquilini communę sibi nomen usurpare, atq; illa crebro (ita enim fateor) se à theologica facultate tractari patiuntur, quia uel aliqualem ordinem obtinuerunt ad Deum, aut per se aut per reductionem, uel alia fortè ratione ut creationis, conseruationis, perfectionis, iustificationis, beatitudinis, salutis, & similium. De illis equidem nõ cogito in præsentia quòd sciam ea naturaliter nobis cognita fieri, quorum aut in postnaturalibus affertur ostensio quòd sint, aut in theologicis, propter quid sint. Permitto nimirum illis rationem quippe à sensu quondam ortis & discursui humano deditis, sed quorũ ueritas à sola pendet authoritate reuelantis, eorum haud arbitror esse sciẽtiam, nec in illis dominari syllogismum uelim. Sed id tantum quod omnibus erit præstantius fides, cẽq; qui habet, is ab Aristotele in Prioribus resolutiuis appellatur, βέλτιον ἐπακόλουθον ἢ εἰ ἐτύγχανεν εἰδώς. id est, melius dispositus quàm si esset sciens, quod explanauit ita Philoponus, id esse, melius cognoscere quàm per demonstrationem. Ad hæc Marranus, Assentior tibi Philolae, inquit, & tecum quoq; illa ipsa quæ meræ sunt fidei & purè credibilia ueto subiecta esse logicis tendiculis, quę planè magis sunt cõtemplantibus detrimento quàm lucro, idq; nostri pariter asseuerãt tam Græci quàm Latini. Hieronymus ille Dalmata in Psalmum centesimum quartũ scribens, syllogissandi artem theologiæ applicatam comparat plagis Ægypti, & sic ait, Cyniphes dialecticæ artis stimulus intelligitur, quę licet paruum uideatur re ipsa habere seductionis aculeũ, grauissime tamẽ sauciat mẽtes humanas. Quapropter doctissimus iste uir hãc technã quã & uanitatẽ sensus & obscuritatẽ mẽtis agnominat, omnino ab Hebraicis dimouit studijs atq; reiecit, cũ sæpe alias tũ apertissime ad Damasum de quæstionibus sibi ꝓpositis quãdo in 2. ijs uerbis utit: De Hebraicis disputantẽ, nõ decet Aristotelis argumenta

menta conquirere. Et in Psal. 143. de theosophistis ita scribit, Quando tecum cœperint disputare, sic uerba eorum breuia sunt, sic artifici sermone concluſa, ut euadere tibi difficile sit, cum enim te ligauerint syllogismis suis, & te clauserint, & quasi maceriam syllogismum tibi texuerint ac ædificauerint, non potest corruere, nō potes transire, teneris incluſus, non est ruina maceriæ neq; transitus. Cūq; ibi tenuerint te quasi quodam giro incluſum, tunc non eris in angusta uia quæ ducit ad uitam, sed in lata quæ ducit ad mortem, ἐπεὶ καὶ ἡ ἁπλότητος πίστις, βελτίων ἐστὶ ἢ ἐκ πολυεργασίας πιθανολογίας. Id est, Quoniā & simplicitatis fides melior est quàm curiositatis persuasiua ratio, ut dixit Athanasius in lib. 3. aduersus Arianos, confirmat hoc idem in opere contra Græcos, quod sic incipit, ἡ μὲν πρὸς θεοσέβειαν καὶ τὴν τῶν ὅλων ἀληθείας γνῶσις, αὐτὸ τοσοῦτον ἐστὶ παρὰ τῶν ἀνθρώπων διδασκαλίας δέεται, ὅσον αὐφ' ἑαυτῆς ἔχει τὸ γνώσιμον. Id est, Ipsa quidem de cultu diuino & de uniuersorum ueritate cognitio, nō tam instituta ab hominibus doctrina eget, quàm ex se ipsa habet notorium suum. Sic Athanasius. Hoc nihil esse uerius quisq; sibi constituat. Quo enim dicēdi studio, aut quo persuadendi conatu opus erit eius, quod mea spōte paratus sum credere, quodq; iam solo erga reuelantem amore meo ac singulari ueneratione libenter recepi, ne minimæ quidem rationis ui coactus aut inductus, quam saltem tenebricosa in hoc corpus demersi ac uincti animi obtusitas posset excogitare. Multò uberius hæc tractat Iustinus ille philosophus Christianus in libro de recta confessione, iambum priscum istuc citans, οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποισι τῶν θειῶν σαφές. Id est, Nihil enim hominibus diuinorum manifestum, qui & Socratis fluxit ab ore. Fertur ita Xenophontis Socratici ad Æschinē epistola, ubi omnibus, inquit, patet diuinas res cognitione humana comprehendi non posse, quare sufficit pie ipsos deos ex animo colere, quales autem sunt, nec inuenire nobis possibile est, nec fas quærere, nec enim seruis conducit, nec eis laudabile dixerim, si dominorum suorum consilia, nisi quantum ad ministerium suum pertinet scrutari uoluerint. Et ut de Socrate aliorumq; philosophorum sectatoribus, scripsit idem in Memorabilibus, ἐθαύμαζε δ' εἰ μὴ φανερὸν αὐτοῖς ἐστιν, ὅτι ταῦτα ἀδύνατον ἐστὶν ἀνθρώποις εὑρεῖν. Id est, Mirabatur autem uidelicet Socrates, si non manifestum ipsis sit, quòd ea non est possibile hominibus inuenire. Talis semper fuit omnium ætatum & omnium fermè religionum sententia, ut humano intellectu non capiantur quæ prius in hominis sensu non fuerant, & quæ intellectus non capit, ea nec ratio discutit: quæ autem ratio non discutit, ea neque ratiocinationis discursus, quam διάνοιαν uocant, iudicabit, quod tum maxime diuinitus reuelatæ ueritati congruit, etiam si de earū aliqua imaginarios nobis animi conceptus formemus, ut quicquid religiosè pieq; receperimus, id argumentationis uiolentiæ non subdamus, uel ullo nobis phantasmate proposito. Maiores itaq; imitatus ille Na-

le Nazianzenus Gregorius, qui eminet inter omnes nostrates in omni theologicę facultatis genere, omni uerborum & sententiarū uenustate simul & grauitate, huic doctrinę haud absimiliter adstipulatur in libro theologiæ secundo affirmans, τὸ μὲν λεπτὸν εἶναι ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ τὸ θεῖον, μὴ δὲ ὅλον ὅσον ὄν τις φαντάζεσθαι. id est, Non comprehensibile fore humano discursu diuinum neq; totum quicquid contingit imaginari. Ne mi tu Marrane Christianorum me prorsus expertem aut negligentem suspiceris. Philolaus respondit, memini Athenagoram philosophum Athenien-sem ad imperatores M. Aurelium Antoninum & L. Aur. Cōmodum pro Christianis legatum sic dixisse, ἐπεὶ καὶ δι' αὐτῶν τῶν δογμάτων, οἷς πεσεί-χομεν, οὐκ ἀνθρωπίνοις ὄσιν, ἀλλὰ θεοφόροις καὶ θεοδιδάκτοις τοῖσι ὑμᾶς μὴ ὡς περὶ ἀθέων ἔχειν δικαιοῦμεν. id est, Atqui & per ipsa dogmata quibus innitimur non humanis certè sed diuinitus missis & Deo doctis, persuadere uos (non sicut de prophanis tenentes) possumus. Vbi aliter de prophanis persuaderi, aliter de diuinis insinuat. Tametsi aliquā multos ex uobis nouerim, qui omnia logicis adinuentionibus confundunt & susq; deq; naturalia mathematicis principijs, ac rursus theologica naturalibus statuunt confirmantq;. Sed haudquaquam causę diuinę sunt naturalibus pares, nec ualent naturalia dirigere diuina, longeq; minus illa quæ sola fide constant ulla ratione possunt demonstrare humanitus scibilia. Sicut nec ea quæ sunt purè credita necessario inferunt naturaliter scita, præstantissimus enim ille uester Dionysius Areopagita, quem ego aut reliquias aut imaginem Pythagoreorum (ut arbitror) haud insipiēter existimauerim, super theologicis istis cognitionibus in libro suo de Diuinis nominibus, ita loquitur, οὐδὲ γὰρ inquit ἀκολουθὴς ἐμφέρεια τοῖς αἰτιατοῖς καὶ τοῖς αἰτίοις, ἀλλ' ἔχει μὲν τὰ αἰτιατὰ τὰς τῶν αἰτιῶν ἀφομοιώσεις εἰκόνας, αὐτὰ δὲ αἰτιατὰ τῶν αἰτιατῶν ὑπερέχοντα. καὶ ὑποβέβηκεν ἐπὶ τὸν τῆς οἰκείας ἀρχῆς λόγον. id est, Neque enim consequens illatio causatis & causis, sed habent quidem causata illas causarum receptas imagines: ipsæ autem causæ causatis abstractæ sunt, & supernè residen iuxta cuiusq; principatus rationem. Quo captiosius aliquorum ex uestris retiaculum & fallacius dogma est, in rebus sola fide reuelata constātibus, syllogismorum proprietate nedum utendum, uerum etiam pari dignitate credendum esse quicquid ex sacris oraculis per syllogisticum artificium sequitur, ac bona formali necessaria logicaq; cōsequentia infertur. Nihil enim tam distat quàm esse diuinitus reuelatum & humanitus inuentum. Vnde in mera fide purè credibilium, credere & scire sunt maximè disparata, ubi nunquam conclusio syllogismi fore potest euidentior ex præmissis, etiam si præmissis euidentia certa misceantur, tamen semper conclusio, partem sequitur infirmiorem. Rectè igitur uel hoc affirmamus quòd in eodem subiecto & respectu eiusdem ueritatis, non potest simul stare habitus fidei acquisitæ & habitus scientiæ per demonstrationem genitæ. Qui ergo

contradicit sacris oraculis, is execrabiliter contradicit fidei. At uerò qui alicui conclusioni humano ingenio, subtilibus inuentiunculis, Aristotelicis technis, Eleaticaq; disciplina, cuius autor fuit Zenon τῆς ἐριστικῆς φιλοσοφίας ἀρχηγός. ut Galenus ait, siue Chrysippi tendiculis aut sophistarum syllogismis ex sacrorum oraculorum reuelatis collectæ atque illatæ contradicit, is iam non fidei contradicit, sed scientiæ humanæ repugnat, non diuinam illuminationem, sed mortalem industriam abnuens haud execrabiliter, sed erranter fortè, aut quandoque perspicaciter, non autem turpiter. Quónam modo igitur affirmare quis ausit? diuinitus reuelato & humanitus inuento pari dignitate credendum esse, nisi qui totus pascatur syllogismo sicut bos fœno. Sanè quæ (amabo te) intercedit dignitatis paritas istius & illius? Fidele illud, at istud scibile. Mens illius sedes est, istius ratio: illud defluit à lumine superno, istud ex sensu ducit originem. In mentis regione aliqua sunt necessaria, quæ in ratione sunt impossibilia. In mente datur coincidere contraria & contradictoria, quæ in ratione longissimè separantur. Non est igitur omnino uerum, si præmissæ sint de fide conclusionem idcirco fore de fide. Nam execrabilis est propositio hæc, nullum adorandum est creator. Multo etiam execrabilior ista. Omne sculptile est adorandum. In eis nanque ambabus blasphematur fides, attamen & sacra & fidelis non est hæc, inde consequens, nullum sculptile est creator, quam naturali ratione demonstrare possumus, ergo ueritas eius non pendet ab autoritate reuelantis. Sed eius euidentia longè credita fide minor est. Pari suasu fallimur assentiendo, quia conclusio sit de fide, idcirco aliquam præmissarum necessariò esse de fide. Quis enim ignorat Hebræis, Christianis & Agarenis esse summa fide creditum quòd sculptile non sit adorandum, ad cuius tamen assertionem inferendam naturalibus utar præmissis, nullum lapidem esse adorandum, sculptile autem uidemus lapidem esse. Tum Marranus, Commodum mihi Philolae reducis, inquit, in memoriam nostrorum quorundam elenchos sophisticos, quum dicunt, conclusio est hæretica, ergo aliqua præmissarum. Qua in causa miror supra quàm dici potest, quòd isti aliquos uel homines quandoque inueniant, qui eis talia credant. Sed quid ego Æthiopē lauare conor, qui nulla opera candescit. Sunt præterea quæ tametsi reuelantur, tamen etiam sequuntur de reuelatis, quę si acceptentur à credente, fides potius erunt quòd reuelata quàm scientia quòd illata. Sicut quæ præcipit ecclesia mea esse credenda etiam quocunque ingenio composita, præsumuntur potius à spiritu sancto esse reuelata, quàm humana ratione inuenta, quantumuis quadam syllogistica subtilitate inducantur. Sic ille ad ecclesiam Alexandrinã scripsit Imperator Constantinus de concilio Nicæno, dicens, ὁ γὰρ τοῖς τριακοσίοις ὁμοῦ ἥρισιν ἐπισκόποις, οὐδὲν ἐστιν ἕτερον ἢ τὸ θεοῦ γνώμη, μάλιστα ὅπου τὸ ἅγιον πνεῦμα

τοσοῦτον πιστῶν & τηλικούτων ἀνδρῶν ταῖς διανοίαις ἐγκείμενον, τῷ θείαν βούλησιν ἀποφαίνεσθαι.
id est, Quod enim trecētis simul placuit episcopis, nihil est aliud quàm Dei sententia maxime ubi sanctus spiritus talium tot & tātorum uirorum mentibus incumbens diuinam uoluntatem declarauit. De episcopis loquitur hic, ecclesiam uniuersalem spiritu diuino agitatam repræsentantibus, non de quorumlibet quantumcunq; polyphemorum heteroclitis sine cerebro capitibus. Abeant igitur in officinam suam mixtiones syllogismorum de esse, de necessario, & de contingenti, aut si qua sint alia logicæ curiositatis possibilia seu impossibilia. Nulla enim est orationis fideliter creditę ad necessariam propositionem ęqua comparatio, cum necessaria possit esse dubitabilis, reuelata uerò nihil sit euidentius. Ne igitur occupent eiuscemodi mixtiones adyta sacrorum, ne molestent hierophantas, quinimmo secedant (si aliquid posse uelint) ad artes sellularias aut naturas cementarias aut supputationes mathematicas, ne transeant limites, ne attingant τῶν ἀθλίων ἄκρων καὶ ἱερῶν ἀδύτων τῶν μυστηρίων καὶ συμβόλων πρόσαψιν. Rectà, inquit Philolaus, incedis amice ad Pythagorę profectò uiri diuiniore doctrina imbuti obscuras latebras, nullis humani ingenij argutiolis perueſtigandas, quæ nobis ambigendi formidinem magis incutiunt quàm generent adhærēdi firmitatem. Non enim poterit diuinorum tantus splendor per tam tenues & aniles sophismatum rimulas tam strictim à nostris noctuinis oculis cerni. Sed opus erit amplissimis cogitandi & credendi uiribus, maximeq; (ut ait Terentius) fide & taciturnitate. Quo motus Pythagoras, omnibus disciplinis toto orbe haustis primus philosophiæ creditor, nihil prius (ut scripsit Apuleius) discipulos suos docuit, quàm tacere. Nam hoc erat primum contemplatiuæ sapientiæ rudimentum, meditari condiscere, loquitari dediscere. Perinde atq; tam augustæ maiestatis Pythagorica sublimitas multo esset dignior, quàm quòd pueriliter iactatis gerris loquitando & garriendo comprehendi posset. Satis uerò nobis patet ex ijs quæ è Simone accepimus, etiam Pythagoram sicut cætera Cabalistarum ita hoc quoq; genus doctrinæ in Græciam attulisse, scilicet quòd de quæstione altissima discipulus interrogaturus taceat. Interrogatus uerò solum respondeat, αὐτὸς ἔφα, Ipsa dixit. Sic Cabalistæ respōdent אמרו חכמים id est, Dixerunt sapientes. Et Christiani quoq; suis dicunt πίστευσον. id est, Crede. Tum Marranus, Fortasse nos taxas Philolae, quibus id & Imperator Iulianus improperauit dicens, ὑμῶν ἡ ἀλογία καὶ ἡ ἀγροικία, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὸ, πίστευσον, τῆς ὑμετέρας δῆτα σοφίας. .i. Vestrū irrationalitas & rusticitas, & nihil ultrà ipsum crede, uestræ est sapientiæ. Cui conuitio Nazianzenus in prima inuectiua prudenter occurrit, quòd pariter hoc Pythagoreis sit primum & maximum disciplinæ fundamentum, tacere: deinde nullam dictis exhibere rationem, nisi αὐτὸς ἔφα, quapropter is inique nos redarguat, quippe ἐς ταυτὸν ἔ-

κοντος τοῦ, αὐτὸς ἔφα, τοῦδ', παρ' ἡμῖν πίστευσον, ἐν ἄλλαις συλλαβαῖς τε καὶ ῥήμασι. id est, In idem cedente isto, ipse dixit, & apud nos crede, licet alijs syllabis & uerbis, ita Nazianzenus. Habemus nunc memoriter eorum qui præ quibusq; cæteris sacra diligentius tractauerunt unanimem discendi morem, uidelicet Cabalistarum אמרו Pythagoreorum ἔφα, Christianorum πίστευσον. Cæterum quicquid aliorum est, diuinum non est. Equidem ante multo cogitaui tantum, Philolaus ait, ea omnia ex Hebræorum fluxisse Cabala, iam certo certius scio, clare nanq; uideo, quęcunq; Simon nobis ostenderit philosophię Italicę, hoc est Pythagoricis adamussim quadrare, ut haud ab re iudicauero Cabalistarum & Pythagoristarum inter se cuncta eiusdem esse farinę. Omnia nanq; studia nostra utrique reducunt ad humani generis salutem, & omnia entia quæ subsistunt, aut substant, continuo ad ideas referunt quæ uere sunt, & idearum ideam. Vnde utrique ternos esse mundos asseuerant, & tertium infinitum, uel potius non finitum, tribusq; constare omnia, καθάπερ γάρ φασιν οἱ πυθαγόρειοι τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρίσιν ὥρισται. id est, Quemadmodum enim dicunt Pythagorei, omne & omnia tribus terminantur, ut in libris de cœlo scripsit Aristoteles. Nam alia quidem, inquit, sunt corpora & magnitudines, alia uero habitant & obseruant corpora & magnitudines, alia denique habitantium & custodum principatus sunt & origines. Quod ita intelligo. Quoniam mundus inferior complectitur corpora & magnitudines singula cum suis uirtutibus & intelligentijs sphærarum motoribus appropriatis & generabilium corruptibiliumq; curatoribus ac custodibus, qui obseruare dicuntur corpora prouide, ut est cuique tributa prouincia quos antiquitas quandoque uirtutes, quandoque angelos, tum aliquando & deos, item & dæmonas, uel pro rerum anxiarum sollicitudine quibus allegantur crebro dæmonia quoque nominauit. De quibus canit Homerus, θεοὶ ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες. id est, Dij olympica tecta inhabitantes, scilicet qui rebus naturalibus pręfecti sæpe querula turbantur affectione ac à summis ad ima relegati laborum suorum causas dicunt, πολλοὶ γὰρ τλῆμεν ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, ἐξ ἀνδρῶν, χαλέπ' ἄλγε' ἐπ' ἀλλήλοισι τιθέντες. id est, Multi enim patimur olympica tecta inhabitantes à uiris, graues dolores inter eos uicissim reponentes, ut est in Iliados quinto. Nam olympum intelligunt prisci quintam essentiam siue naturã, hoc est cœlum, quare tecta olympica sunt sphæræ cœlestes seu cœli, dicti à celando sicut tecta à tegendo. Deniq; uirtutes cœlestes & uires elemẽtares ac rerum naturalium proprietates Hesiodus deos ex cœlo & terra dicit genitos in sua Theogonia, & Orpheus græcorũ primus theologus ad Musæum scribens eosdem appellat dæmonas his uersibus. δαίμονας οὐρανίους καὶ ἠερίους καὶ ἐνύδρους καὶ χθονίους καὶ ὑποχθονίους ἢ δὴ πυριφοίτους. id est, Dæmones cœlestes & aëreos & aquaticos & terrestres & subterraneos & ignisequos seu igni assisten-

assistentes. In operum quoque ac dierum libro Hesiodus, Dæmones inquit boni sunt terrestres custodes mortalium hominū. Ipse quidem Apollo se suiq; similes dæmonas roganti quōdam Theophilo respondit angelos esse pro incumbente sibi administrationis officio ut est in oraculis. Sic enim cecinit ut fermè solet omnia heroice, ὄνομα μηδὲ λόγῳ χωρόμενον ἐν πυρὶ ναίων, τοῦτο θεὸς μικρὰ δὲ θεοῦ μόρις ἄγγελοι ἡμεῖς. id est, Nomen ne ratione capiendum in igne habitans, hoc Deus, Parua autem Dei portio angeli nos. Erigamus si libet ad altiora ingenium nostrum, quippe ad uniuersi huius globi uitales influxus. Nam mundus superior complectitur superos, essentias incorporeas, diuina exemplaria & orbis huius sigilla, quorum instar, omnium rerum inferiorum facies sunt factæ, quæ Pythagoras appellauit ἀθανάτους πρῶτα θεούς. id est, Immortales prima deos, uelut principia rerum ex mēte diuina productas ideas ut sint essentiales ἀρχαὶ principatus & origines habitantium corpora, id est specierum, compositas huius mundi res informantium. Quo plane intelligitur alios etiam illic esse immortales secunda deos, prima enim secunda referunt, entia incorporea singularia & indiuidua non materiali numero sed formaliter formali inter se differentia, puta spiritus ab omni materia liberos, simplices & impermixtos, suapte natura extra cœlū sensibile commorantes, & ut ait Aristoteles, nec tempori nec loco astricti os unde nec senescant nec transmutentur, multomagis nulla uariatione nec alteratione, nulla denique passione affecti sufficientissimam sibi & optimam ducant uitam, habitentq; æternitatem, quod nuncupatur æuum, & Græcè αἰὼν quasi ἀεὶ ὤν. id est, semper ens, quoniam idem illud seculum semper fuit, est, erit, intemporaliter, in mente diuina, ex energia tamen Dei foras creatum, & extra cœli nostri conuexa constitutum, pro domicilio splēdidissimo spirituum beatorum, quos Pythagorei ueros deos existimant in sublimi ætheris uertice locatos cum prorsus obiectu, tum retro partu æuiternos, scilicet æuo immortali & diuino præditos. Ab ipso autem eodem æuo etiam alijs dispensatum est & tributum esse & uiuere, his quidem clarius, his uero obscurius, ut idem dixit Aristoteles. Quid autem id sit per quod dispensetur & tribuatur, ab hoc æuo diuino & immortali rebus alijs, hoc est inferioribus esse ipsum, non fortuitum obiter, aut perfunctorie illapsum, sed cuius libet speciei consimiliter substantiuum, certe primi omnium Pythagorei Socrates & Plato sequentes præceptorem suum, discipulos illius familiæ docuerunt, cum audiuissent Pythagoram semper de diuinis obscure loquentem, dicere solitum, quòd Tetractys traderet animæ nostræ fontem perennis naturæ, tunc plane intellexerunt Tetractyn esse ideam in mente diuina tradentem, & fontem esse ideam exemplarem traditam, & perennem naturam esse ideam rerum essentialem receptam. Quare Alcinoo teste dixerunt hoc modo, ἔστιν ἡ ἰδέα

ὡς μὴ πρὸς θεὸν, νόησις αὐτοῦ, ὡς δὲ πρὸς τὸν αἰσθητὸν κόσμον, παράδειγμα. ὡς δὲ πρὸς αὐτὴν ὑφεστηκυῖαν, οὐσία. id est, Est idea quoad Deum quidem cognitio sua, quo ad sensibilem autem mundum exemplar, quoad se ipsam uero considerata, essentia, ceu loquentis uox (uti est apud Areopagitam) una cum sit atque eadem, à multis auribus ut una percipitur. Est enim uox primo in uociferatore, secundo in uocalitate, & tertio in quolibet auditore. Quo autem in mundo sensibili semper sphæra prior in omnes eam sequentes influit, ita in mundo intellectuali non tantum singulos choros superiores influere arbitramur in omnes choros inferiores, uerum etiam totum mundum superiorem influere in totum mundum inferiorem, ut omnia pro suo captu quantum fieri potest momentanea ad æterna & infima reducantur ad summa. Nihil tamen mere creaturarum ad tertium mundum reduci potest, nihil enim tantæ sublimitatis suapte natura capax est, nisi Deus. atqui tertius inquam mundus ille supersupremus omnes alios mundos continens solius Deitatis est, unaq; diuina constat essentia, ut plane mihi uidetur recte cognominata παντοκρατορικὴ ἕδρα. id est, Omnipotens sedes locata, immo existens super omne æuum & super omne seculum (est enim seculum seculorum) ὑπάρξεως, ὑποστάσεως, οὐσίας, φύσεως, ὀντότητος καὶ ἑνότητος προοῦσα. id est, Existentiæ, substantiæ, essentiæ, naturæ, entitas & unitas præexistens. Quod Pythagoras noster ἑν appellauit, & Parmenides Pythagoreus ὄν, urerque haud absimili ratione, ὅτι ὑπερούσιον, ἓν. καὶ τὸ ὄν, ἕν. id est, quòd supereſſentiale unum, & ens, unum. Sed nemo antiquitatis tam perosus aut tantus contemptor maiorum esse optauerit, ut tantum & tam sapientem Pythagoram existimet tam anili amentia correptum fuisse, quòd putaret abaci numeros aut pueriles talos quibus iactarent uultorios quatuor, aut mercatorum calculos cæteraq; id genus esse rerum omnium principia, quæ non solum rebus non præsint, uerum etiam secundum res accidant. Quin potius intelligi uoluit ipsum essentialiter & simpliciter unum, à quo, & ex quo, & per quod, & in quo, & ad quod omnia sunt, & ordinantur, & permanent, & continentur, & implentur, & conuertuntur: idemq; esse primum unum & primum ens, quod in secundo Postnaturalia testatur Aristoteles his uerbis, πλάτων μὴν καὶ πυθαγόρειοι οὐχ ἕτερόν τι τὸ ὄν, οὐδὲ τὸ ἕν, ἀλλὰ τοῦτο αὐτῶν τῶν φύσιν εἶναι, ὡς ὄντος τοῦ ἑνὸς τῆς οὐσίας τοῦτο, τὸ ἓν εἶναι καὶ ὄντι. id est, Plato nanque & Pythagorei non aliud aliquid ipsum ens, neque ipsum unum, sed hoc eorum naturam esse, ceu existentis essentiæ idem unum esse, & ens aliquod. Sanè Xenophanes ille Parmenidis præceptor & idem Pythagoræ coæuus, quanquam omnia celare mos illorum fuit, tamen uisus est clarissime nobis explanare quid ipsum unum esse intellexerunt, de quo in rerum principijs uerba fecerint. Dixit autem illud unum, esse Deum, quo liquidius Pythagoræ arcana nobis patefiunt cum statuit infinitum & unum

& numerum esse prima rerum principia. Per infinitum nihil aliud significans quàm ipsum posse, nihil enim quis unquam ne cogitauerit quidem, prius ipso posse, quod maxime infinitum in Deo est, immo ipsum, infinitus Deus est, in quo non separantur esse & posse, quod omnium producibilium & singulorum quorumque continet essentias uirtutes & operationes cum omnibus proprietatum & accidentium connexilibus differentijs & unionibus. Cæterum Pythagoræ assentitur etiam ea in re Anaxagoras, ante quos uiros nullam Græcos omnes Dei habuisse cognitionem, Eusebius Pamphili autor est. Dixit enim Anaxagoras, Quoniam erant omnia simul. Et Democritus, Erant, inquit, omnia simul potentia, uidelicet δυνάμει. id est, in ipso posse. Hæc est illa quoque mixtura siue rerum commixtio Empedoclis & Anaximandri, nequaquam tamen in aliquo Hesiodi aut Aristophanis chao nocte & erebo confusa, sed in Deitatis pleno lumine discreta, & in ipso infiniti luminis intimo penetrali ordinata: quanquam si haud inique intelligatur Hesiodus, certe chaos noctem & tenebras non esse rerum principia, sed ex principijs orta statuit. Id enim in Theogonia protulit, ἐξ ἀρχῆς καὶ ἀπὸ δ' ὅτι πρῶτον γένετ' αὐτῶν. ἤτοι μὴ πρώτιστα χάος γένετο. Deinde sequitur, ἐκ χάεος δ' ἐρέβός τε μέλαινά τε νύξ ἐγένοντο. id est, Ex principio & si quando aliquid primo factum eorum est, certe primum chaos factum est. De chao autem erebus nigraq; nox nata sunt. Aristophanes uero aliter in Auibus scripsit, χάος ἦν καὶ νὺξ ὄρεβός τε μέλαν πρῶτον. id est, Chaos erat & nox erebusq; nigrum primo. Sed ita fingit poetice Musarum more, alludens suis auibus, ut ex ouo posset amorem excubare, ac simul Orphei supparasitatur in Argonauticis, non absimiliter sentienti quapropter hoc idem repetendo rursus iterumq; meminerim, omnia & singula in illo ipso posse, non confuse, non in chao, non in erebo, nec obscura nocte, sed discrete ac ordinate in pleno lumine, scilicet in ipsa luminosa & omnium fulgentissimorum radiorum splendidissima claritate ac illustris & illustrantis essentiæ diuinæ intuitu notitia cognitione uersari, quæ optimo iure ab antiquissimis philosophorum idea nominatur ἐκ τοῦ ἴδω, τὸ γινώσκω, cuius quidem posse esse, cum omnia complectatur mentalia, rationalia, intelligibilia, sensibilia, uitalia, substantialia, adhæsibilia, & adhæsiua, non tantum eorum quæ sunt, uerumetiam quæ non sunt: tum uere illud poterat infinitum appellare Pythagoras, quod & à sapientissimis dictum erat ἀπειροδύνασθαι. id est, Infinite posse, quoniam & ipsum est infinitum, & una eademq; infinita & essentiali idea complectitur res infinitas. Nihil enim uel fuit, uel est, uel erit in supercœlestibus, cœlestibus, terrenis, corporeis aut incorporeis, in angelis, in hominibus, in brutis, in plantis, in mineralijs, in tota uniuersi natura quod non posset, uel (ut Grammaticè loquamur) potis est. Ex hoc omnia prodeunt, & hæc est, ἀπειροδύναμος καὶ παντοδύναμος δυνα-

μοποιὸς δυναμις. id est, Infinite potens & omnipotens potentifica potentia, quæ nihil aliud est quàm diuina essentia, intra quam ante omnia unum producit duo. Hic tenes Marrane totum meum Pythagoram. Duo primus numerus est, unum uero principium numeri. Quia si credis Xenophani ut antè audisti, unum illud Deus est, & cum intra essentiam diuinam productio duorum manserit (numerus enim se ipso constituitur, Boetio peripatetico autore, iuxtaq; unum solus binarius naturaliter est) tum necessario, duo quoque illa, Deus sunt, quoniam intra Deum nihil nisi Deus est. Tres igitur hę res principium & primum cum sint, & unam Dei essentiam non exeant, tum Deus planè unus sunt, non enim essentia eo scinditur, quòd ex uno duo producta numerantur, sicut in rebus quoque corporeis sæpe fit ut unitas mota in duitatem (sit uenia comparationi) usque ad terna progrediatur, manente rerum substantia ut stipitis & surculorum, uel æquius ut hominis corpus, brachium & digitus. Ex uno itaque in diuinis producente, duobusq; productis, trinitas oritur, quibus rebus si addatur essentia ab eis formaliter distincta, erit formalis quaternitas quę est infinitum, unum, & numerus duorum, omnis numeri substantia, perfectio, & finis. Nam unum, duo, tria, quatuor, collectiuo progressu decem cõficiunt, & extra decē nihil est. Quare hoc ipso intellexit Pythagoras omnium quoddam rerum principium esse, quod Tetractyn nominauit. Nam tetras Græcè, quaternitas est, & actis, formale solis, siue radius, ex quali formalitate licet iam supersubstantiali, deus ipse, unum illustre nomen constituit quaternitatis, ueluti quatuor inter se formaliter distinctorum. Vtq; sacrum à prophano segregaret, optima ratione nomen sanctum per ypsilon scripsit, cum ἁκτὶς uulgo per iota scribi consueuerit. Adhuc autem & ipse quoque Tetractyn, ut Deum aliquem hoc loco excellenter in genere masculino protulit, quo more Latini ueteres Cupidinem aut Venerem masculine pronunciarunt, cum alias instrumentalem quaternitudinis numerum ipsam Tetractyn genere fœmino eloquantur. Deum autem se illum ostendere uoluit per quem ipse iurauit μὰ τὸν τετρακτὸν quo nihil haberi debeat ueneratione dignius. Nam ut Aristoteles ait, ὅρκος τὸ τιμιώτατόν ἐστιν. i. Iuramentum est honorabilissimum. Ego sanè hoc in loco Hierocli non astipulabor qui aurea carmina Pythagorã ipsum cõscripsisse opinor. Atqui pariter optarem propter mirificæ sanctitatis reuerentiam, cp Tetractys Romana lingua nõ quaternarius nec quaternitas, sed uoce mutata quaternio aut quaternitudo nominaretᵉ, quale apud uos Christianos obseruatis, sacrũ à prophani uulgi usu secernẽtes, cum enim à ter ternus & ternitas populariter legi debeat uos sacrosanctã hypostasin alterato uocabulo trinitatem appellatis, quasi trium unitatem, scilicet enim literam ab ipso uno propter unitam singulorum naturam mutuantes. Sed ut receptui

canam,

canam, omniũ rerum, inquam, una quædam ſumma res eſt Tetractys, Pythagoricum principium. Tum Marranus, belliſſimũ recordor ab hoc exemplo Philolae, illud quatuor literarum charagma, in quo uniuerſa generis humani ſalus præſto ſit. Quod nobis Simon tanta ſcripturarum ubertate confirmauit, ubi profectò mihi Iudæorum Tetragrammaton ac potius ipſas quatuor literas ex quibus nomen Saluatoris componatur, non malè uiſus eſt Pythagoras in Tetractyn græcum ſymbolum cõmutaſſe. Mox tum. Ego uerò, inquit Philolaus, illo Tetragrammato & illa ſalute ad quam totum penè genus humanum reduxit Simon, planè nondum ſatiatus diſceſſi, quare cùm ad eum rediero de iſtis rebus, ſi uolet ampliora quæram, præſertim de illo homine qui ſalutem ſingulis quibuſque nobis allaturus ſit tanquam uniuerſorum rex unctus, ideoq; Meſſiha dictus. At uide modò uelim num ſit Æſculapius denuò uel per tranſanimationem, ut aiunt, in hunc mundum uenturus, de quo Iulianus Imp. in lib. 2. cõtra Galilæos ita ſcribit, ὁ γὰρ Ζεὺς ἐν μὲν τοῖς νοητοῖς ἀφ' ἑαυτοῦ πρῶτον ἀσκληπιὸν ἐγέννησεν, εἰς δὲ τὸν γλυκὺν ἀφὴλιον γενόμενον ζωῆς ἀφίεται ῥοῆς. ὅτου δὴ γῆς ἀφ' ὑψηλοῦ πορευθέντος προόδου, φύσεσιν μὲν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ πρὸς τὸν ἐπίδαυρον ἐφάνη. πληθυόμενος δὲ ἐντεῦθεν ταῖς πρόοδοις ἅπασαν ὥρισε τὸν γλυκὺν τὸν σωτήριον ἑαυτοῦ δεξιὰν ὅπως πανορθῶται τὰς ψυχὰς πλημμελῶς διακειμένας καὶ τὰ σώματα ἀδυνάτως ἔχοντα. Id eſt, Iupiter enim in ſuis intelligibilibus ex ſe ipſo Æſculapium genuit, & in terram per ſolis genitalis uitam deſtinauit, hic in terra ex cœlo faciens progreſſum uniformiter quidem in hominis ſpecie circa Epidaurum apparuit, auctus itaq; illic ſucceſſibus ſuper uniuerſam porrexit terram, ſalutarem eius dexterã, ut reſtauraret animas malè diſpoſitas & corpora inualidè habentia. Qui ſi compoſitum ex illis quatuor literis quouis etiam alio legendi charactêre addito nomen habuiſſet, prorſus Saluator ipſe putandus eſſet. Aut certè quantuſquantus ille fuerat Hercules Alcmenæ filius à Ioue prognatus diuinum ſemen quem Thaſſij Saluatorem nominarunt, & monetæ publicæ inſcripſerunt ſic ἡρακλέους σωτῆρος θασίων. Id eſt, Herculis ſaluatoris Thaſſiorum. Eiuſcemodi nummum argenteum priſce percuſſum ego nuper, ut ſoleo, erga res antiquiſſimas incredibili uoluptate his meis digitis uerti legens & reuerti. Quo non ab re coniectabam, omnium uoce ac conſenſu Herculem inter deos relatum, & ſaluatorem eſſe promulgatum. Præter eos fuiſſe alioquin aliquam multos, qui mortalibus opem tulerint ſaluatores, haud dubium quidem eſt, quorum è numero meminimus Ptolemæum regem Ægypti, cui nomen Soter, id eſt, Saluator extitit. Romanis quoque Curtius ipſe ſua morte terram reddidit ſaluam, & ſua capita Decij pro patria ſeruanda fortiter deuouere, communis ſalutis mirifici autores. Tum Marranus, Libenter, inquit, te interpellando monerem, ut quæ nobis à Simone tradita ſunt, perſpicacius animaduerteres & paulò æquius intelligeres.

Poſt

Post enim quàm multa de Cabala ille uir omnifariàm sectę suæ peritus disseruisset quid modò esset, & ad quid utilis, ostendisset q̃ & quòd esset recepta reuelatio, & quòd facile nobis iter aperiret ad beatitudinis fastigium & summam fœlicitatem: tum rogatus à nobis quídnam illud esset quod præcipuum diuinitatis reuelatũ fuisse putaret, ad quod generatim omnes diuinorum reuelationes reducerentur: aiebat id esse quod dicitur, post ruinam primordialem generis humani uniuersalis restauratio quæ salus nominatur, & quam daturus foret homo iustus & pacificus, uir heros: cuius nomen quatuor contineret in miserationibus líteras, ad quem nos ipsos cunctis negocijs secularibus absoluentes libere conari debeamus, per omnes gradus idoneos ascendere ac migrare in ipsum, pro sua quisque uirili: quod q̃ sint huc omnes actus nostri formandi, huc omnis contemplatio dirigenda, huc tendat omnis sacra Iudæorum scriptura, quæ nobis quasi scala Iacob fore queat super terram sita & cacumine tangens cœlos, per eam transcendere nos mundum hunc posse corporeum usque in alterum mundum angelicum, etiam ad ipsam Messihæ illius Saluatoris animam, quæ sit omnium animarum saluandarum requies & satietas, extremus q̃ finis, ultra quem progredi nusquam ualeamus: quoniam terminet summũ habitaculum mundi supremi, & communicet cum mundo supersupremo, siue dum per Grãmaticos dicere liceat supręmissimo: quin potius incomparabili, ad summum, hanc esse omnium hominum perpetuam salutem cunctorum bonorum aggregatione completam. Quę si memineris à Simone sic esse proposita, quanquam per ambages, mea quidem sententia non dubitabis, nec illos tuos saluatores, nec etiam Iudæorum quosdam de quibus uigintiquatuor Biblia sæpe honorificam fecere mentionem, in tanta unquam fuisse dignitate constitutos, ut generi humano salutem uniuersalem afferre potuissent, per quam homines in omni orbis terrarum spacio quotquot essent, sempiterno æuo læte frui, & cum Deo post lapsum redire ualerent in gratiam. Quid enim de tuo Æsculapio complures senserint alij, tu uideris, qui asserunt illum meretricio incestu natum ex Coronide uenusta mulierecula, de qua canitur. Pulchrior in tota quàm Lariſſæa Coronis non fuit Æmonia, & eam sæpe in templo Apollinis subegerint atque compresserint sacerdotes, qui adulterinis complexibus à se genitum Æsculapium, finxerunt Dei filium esse isto loco culti. Apis autem Ægyptius, qui artem medicinæ primus Græciæ intulit tam insignis eo seculo templarius, ut etiam mortuus in templis pro Deo coleretur, singulari erga sacerdotes Apollinis fauore ductus infantem suscepit alendum & instituendum, quem discipulo quondam suo Chironi Centauro deinde cõmendauit medico peritissimo, ut artem curandi tuendiq̃ corporis in Æsculapium transfunderet. Quo facto, in uirum euasit

Æscula-

Æsculapius & fama & opibus magnum. Auaricia uero tum instigatus, & cupiditate honoris diuersas mundi regiones ad pecunias arte medica corradendas peragrauit. Iamq; diuitijs plurimum abundans, & fama ingenti præditus stulte se Deum nominauit, promittens nõ solum ægrotis sanitatem, uerumetiam mortuis denuo uitam, super quo Ioui superbiæ suæ pœnas dedit, nam fulmine ictus perijt. Sic enim Pythagoreus ille Pindarus Pythionicarum tertio super Æsculapio cecinit, χερσὶ δ' ἄρα Ιρονίων ῥίψας δι' ἀμφοῖν, ἀμπνοὰν σέρνων καθεῖλεν ὠκέως. αἶθων δὲ Ιοβόλος ἐνέσκιψε μόρον. id est, Manibus ergo Iupiter proijciens ambabus, respirationem præcordiorum desumpsit subito. Ardens autem fulmen inflixit mortem. In hanc sententiam Apollo querulus super Æsculapij filij morte Euripidi fingitur, Ζεὺς γὰρ Ιαπετὸς παῖδα τὸν ἐμὸν αἶπυ ἀσκληπιὸν σέρνοισιν ἐμβάλλων φλόγα. Quare nisi plane in diuinis plumbei sumus hominem tam alienum à dignitate, saluatorem esse humani generis non putabimus, & ne in uniuerso quidem sanatorem, qui opem non alibi, quàm in Pergamum, & Ioniam, & Taranta, & Romam, & Con, & Ægas, ac in eas circa regiones contulit. Nimio tu uictus amore tuorum Marrane, Philolaus inquit, plus quàm ueritate, omnis homines minoris æstimas immo quàm minimi censes, qui nõ Galilæi sunt. Peruersus hic mos est mea sententia (sit uenia uerbo) non modo laudem alienis non admittere sed & uituperare, nec tibi ut uideo satis fuerit tuiq; similibus, optimos uiros suo seculo uirtute claros quos antiquitas ob egregia facta in Deos retulit non esse Deos contendere, nisi & se diabolos tartareos feceris. Ita Lactantium tuum hoc in loco imitatus, qui decimo capite libri primi ad Constantinum Imperatorem sic scripsit Æsculapius & ipse non sine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum, nisi quòd sanauit Hippolytum, mortem sanè habuit clariorem quod à deo meruit fulminari, hæc ille. At lingua omnis quæ felle inficitur, uero gustu caret, fatetur is tamen rem esse diuinis honoribus dignam, largiri sanitatem, quod & secum omnes fatentẽ ægroti. Sed quid aliud fecerit Æsculapius si nesciat Lactantius, Socratem sapientissimũ interroget, qui gallum ei offerendum uouit, ut est in Platonis Phædone, non ut sibi corpus sanaret, qui iam morti adiudicatus uenenum biberat, sed ut parenti Apollini, hoc est primo & incorporeo Soli æternæ uitę dispensatori, animum tranquillè morientis cum lætitiæ iubilo & pæane redderet. Nam gallus Apollini Phœbo, qui Sol nominatur sacer est, horarum & diei lætus nuncius. Æsculapius autem dictus est à ueteribus Iubilatio Apollinis uictoria & triumphus qui pæan appellatur, eò quòd pauam, cessationẽ & quietem post liberationẽ nominarint. Ea enim ætate cõsueuerũt inituri pugnam prius Marti, & post pugnam uictores Apollini pæana referre. Quàm aptè igit Socrates in Æsculapio qui est pęan solẽ uitę datorẽ ue

neratus

neratus sit iam iamq́ moriturus, doctissimorum hominum recta iudicia uiderint, dignum sane ratus & optimo cuiq́ officiosum, huius mundi Pythone maximo serpente uicto & pedibus calcato, quando per mortem celeriter ad ueram uitam iter capessitur Esculapio quidem offerre, id est Pæana celebrare. Sic Orpheus uetustissimus uatum & coetaneus istorum Deorum, nam cum Tyndaridis & Hercule nauigasse perhibetur, in hymnis cecinit, ἰητὴρ πάντων ἀσκληπιὲ δέσποτα παιὰν, ἐλθὲ μάκαρ σωτὴρ βιοτῆς τέλος ἐσθλὸν ὀπάζων. id est, Sanator omnium Esculapie domine Pæan, Veni beate saluator, uitæ finem bonum præbens. Multos se Iulianus Imperator nouisse asserit in maximis periculis Esculapio adiutos, & se ipsum ægre laborantem sæpe medelis eius saluum euasisse fatetur, ad hoc testē citans Iouem. Sed quid hæc ad uniuersum mundum, respondit Marranus, cuius Messiha prædicatur Saluator, nec corporum modo sed animorum. Et Philolaus ad id, Tu uero Marrane quid de Hercule? nónne morum formator & omnis ingenuæ disciplinæ in cunctis orbis terrarum locis præceptor fuit. Inde illa imago Herculis apud Celtas peruetusta quidem & uero similis, ubi senex ipse homines innumerabiles singulos cathenulis aureis colla reuinctos à lingua pendentibus trahit quo uult cunq́. Celtæ uernaculo sermone Ogmion nominant. A Luciano fit eius memoria in alloquio de Hercule Celtico, super quo illi dicunt, ἡμεῖς τὸν ἡρακλέα λόγῳ τὰ πάντα ἡγούμεθα ἐξεργάζεσθαι, σοφὸν γενόμενον. id est, Nos Herculem uerbo & ratione omnia opinamur effecisse cum sapiens fuerit. Nam uirtute domare uitia, & ignorantiam auferre doctrina, nihil aliud est quàm calcare monstra, & angues necare, leonem Nemeæum claua percutere, hydram lernæam interimere, aprum erymanthium occidere, ceruam in Menalio nemore aurea cornua gerentem capere, stymphalidas aues in nube sagittis confodere, Antæum intra ulnas strangulare, columnas in Oceano figere, Geryonem tricipitem uincere, boues abigere, taurum perimere, Acheloum Monomachia superare, omitto & Diomedis equos, & cerberum & aurea hesperidum mala, idqúe genus facinorum cætera quamplurima, totum uirtutis fuit, totum rectæ institutionis officium & bene uiuendi exemplum. Tum Marranus, Dicerem (inquit) aliorum de illo existimationem, nisi tu prius eiuscemodi tulisses ægrè, breuiq́ ostenderem fuisse hominem, ut nos sumus, uel paulò indigniorem, licet Prœti Agenorisq́ prosapia nobilem. Siquidem ex Agenore Prœtus erat, Agenoris autem Belus frater, quo natus est Ægyptus, quo Lynceus, quo Abas, quo Danae, cuius fuit Perseus, cuius Alcæus, cuius Amphytrio, cuius (ut putabatur) Hercules, quem tamen reuera Iouis aiunt, id est adulteri cuiusdam fuisse filium. Nam ex Alcmena Iphiclus Amphytrioni & Hercules Ioui, uno partu, si famæ creditur, æditi sunt in lucem. Hercules uerò incensus igni sacro

perijt

perijt, quoniam Deianiræ uxoris attentatam pudicitiam in Neſſum Centaurum iaculo uindicauit, quam ipſe in Iole captiua puella non exhibuit, perquàm inique ſuſpicionem adulterij ſolam ultus, qui ex adulterio conceptus adulterium pariter ipſe commiſit, in cæteros neſcio quàm iuſtus, in ſe ipſum certè iniuſtiſſimus. Tu ne talem mundi ſaluatorem fore credas Philolae, qualis fuit Hercules aut qualis Æſculapius, ſi non aliam ob rem uel ob id ſaltem quòd uterque turpi nota deceſſerit, nam ut de ambobus apud Lucianum in eccleſia deorum Momus ait, ἔτι τὰ σημεῖα ἔχουσι τοῦ πυρός. id eſt, adhuc ſigna tenent ignis, quòd exuſti ambo ſunt. Curtium & Decios magnanimitatis laudant alij, ego imprudentiæ accuſo. Quid quòd aliqui blanditijs & adulationibus ducti, aut ui à tyrannis coacti eum ſaluatoris nomine ornarunt, qui non modo illos non ſanauit, nec ſeruauit, ſed prorſus deuaſtauit ac perdidit, ut Siculi Verrem publica ſtatua in Syracuſis inſcripſerunt σωτῆρα, id eſt qui ſalutem dedit. Ciceronis teſtimonio in accuſatione quarta Verrinarū. Sed nihil ad hunc locū, ubi de uera hominū ſalute agitur, quam illi nō præſtiterunt, uera nanq; ſalus eſt, ſempiterna permanentia quę in Deo eſt, & à Deo tribuitur, ut in libro de mundo ad Alexandrum ſcripſit Ariſtoteles. Ex Deo inquit & per Deum nobis omnia conſiſtunt, nullaq; natura per ſe ſufficiens eſt carens illa quæ ex eo eſt ſalute. Dein adiungit, τῇ γὰρ οὐσίᾳ, σωτὴρ μὴ γὰρ ὄντως ἁπάντων ὄντι. id eſt, Ipſa quidem eſſentia, ſaluator etenim enter ſeu eſſentialiter uniuerſorum eſt Deus. Vnde in libro 14. poſt naturalia, rurſum ſic ait Ariſtoteles, θαυμαστὸν δ' εἰ τῷ πρώτῳ καὶ ἀϊδίῳ καὶ αὐτάρκεστάτῳ τοῦτ' αὐτὸ τὸ πρῶτον ὑπάρχει τὸ αὐτάρκες καὶ ἡ σωτηρία. id eſt, Mirum ſi primo & ſempiterno & ſibi ſufficientiſſimo hoc idem primum non ut bonum ineſt, ipſum ſufficiens & ipſa ſalus, per quod monemur, ueram nobis ſalutem in primo ſempiterno & ſufficientiſſimo bono qui eſt Deus optimus maximus conſtare, nec aliun de quærendam. Solus enim ille ſummus mundi opifex & rector de ſupereminētis liberalitatis clemētiſſima uoluntate corruptibilibus dare poteſt incorruptionem, & tempori ſubiectis æternitatem, & inſolubilem tranſitorijs permanentiam, quorum tamen propria natura eſt ut orta occidant & aucta ſeneſcant. Sic enim in Timæo Platonis loquitur Deus. Quæ à me facta, indiſſolubilia ſunt, me uolente, alioqui ligatum quidem omne, diſſolubile eſt. Ecce non tantum peripateticis ſed etiam Platone ipſo & Platonicis teſtatum recipimus ſola Dei uoluntate permanentiam concedi rebus quibuslibet pro captu ſuo, & hæc eſt uera ſalus. Nam ſaluari dicimus, à læſione ſeruari ut res tranquille permaneant. Quod unanimi conſenſu Græcorum quondam magnifici & ornatiſſimi legati anno à natiuitate Ieſu, 1438. uniuerſali concilio Baſilienſi illuſtri quadam & diſertiſſima oratione expoſuerunt his uerbis dicentes, τὸ γὰρ σωθῆναι καὶ σώζεσθαι καὶ ἡ σωτηρία ἁπλῶς ὀνόμασιν ἄλλο παρὰ τοῖς ἕλλησι

καὶ τῇ ἡμετέρᾳ βούλεται γλώττῃ, ἢ τὸ σῴζειν καὶ εἶναι. id est, Ipsum autem saluare & saluari & ipsa salus simpliciter nihil aliud apud Græcos & in nostra uult lingua quàm permanere & esse. Homines igitur qui de sui natura morti sunt obnoxij ut cessent esse, cum ita se Dei cõformant uoluntati, ut futuri sint immortales, & beato æuo fruantur, recte dicuntur salutem consequuti, & qui eis illam largitur immortalitatis beatitudinem, is recte dicitur saluator, quod uocabulum usu cepit Ciceronis posteritas antea inauditum ut nunc Saluator Latinè dici queat. Sanè omnis alia improprie ac imaginarie nominatur salus, quid enim? quòd animanti bruto medicus hodie confert sanitatem, & illud perendie relabitur in pestem, moriturq; nunquam rediturum, num ea uocabitur salus? Quid illud quòd flori marcescenti hortulanus opitulatur, qui flos postridie casurus sit, & in puluerem conterendus num hæc tridua conseruatio rei prorsus inconstantis salus nominanda est? Sic Hercules Thasſios semel adiuuit, quo salutem illis dedisse dicitur, qui post sæpe interierunt, & hodie nihil eorum nisi nomen extat. Sic Ptolemæus Ægyptum seruauit, tot postea bellis & incursionibus hostium deuastatam. Sic Decij Romam liberauerunt, attamen sequenti subuersione atque incendio dirutam. Imperfecta (crede mihi) salus est omnis quæ tempore frangitur, perfecta est quæ caducum æternat, ut de Helenæ morte sublata in Euripidis Oreste Apollo docuit cum sic ait, ἡ δ' ἔστιν, ἣν ὁρᾶτ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς σεσωσμένην μ', οὐ θανοῦσαν πρὸς σέθεν. ἐγὼ νιν ᾔρεσα. id est, Ista est quam cernitis in ætheris conuexitatibus, saluata quidem, & non mortua iuxta te, ego eam saluaui. Vtq; non simus ignari salutem illam non ab Apolline, nec à dijs alijs nisi tanquam mediatoribus prodijsse, quin uerius à summo Deo cui propriam ipsa se insigni uirtute dicauit, tum ita subiungit, Ζηνὸς γὰρ ἔσαν, Ζεὺς νιν ἄφθιτον χρόνον. id est, Iouis enim existentem, uiuere eam incorruptibilem decebat. Per Castorem Helenæ fratrem, Marrane uera prædicas, inquit Philolaus, & sapienter uideris de uera salute locutus, assentiorq; Saluatorem de quo tam magnifice ac tam perpetuo sacra uaticinantur eloquia, eum fore oportere, qui non tam huius grandis mundi, non regionum & urbium, nõ infimorum elementorum & syderum, non lignorum & lapidum, non plantarum & arborum, non piscium, non uolucrum, non pecorum, quæ omnia naturam ducem & suæ conditionis instinctum inerranter & probe sequuntur, & ad constitutum sibi finem manent quod sunt, quàm istius minoris mũdi seruator & restaurator sit, hoc est hominis, qui ab æquitatis sibi tradita norma & rectæ rationis sententia sæpe decidens generositatem suam coaceruatione uitiorum in stagna profunda malorum & sempiternæ corruptionis barathrum uoluntarie præcipitat, unde reuocare gradum proprijs uiribus & sua ope nequeat. Hic Marrane, hic inquam salute nobis hic saluatore opus est. Hoc genus

nus creaturarum appellat Pythagoras ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας. id est, Homines spontanea electione detrimenta habentes. De quibus ita scripsit in aureis carminibus, τλήμονες οἵτ' ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὐκ ἐσορῶσιν, οὔτε κλύουσι, λύσιν δὲ κακῶν παῦροι συνίσασιν τοίη μοῖρα βροτῶν βλαπτει φρένας, οἳ δὲ κυλίνδροις ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλα φέρονται ἀπείρονα πήματ' ἔχοντες. id est, Miseri, hi quidem bona prope existentia non aspiciunt neque audiunt, solutionemq́ malorum, pauci intelligunt, talis sors mortalium lædit mentes, hi autem rotis ex alijs in alia feruntur infinita damna habentes. Sanè noster ipse philosophorũ princeps hoc nimirum à Cabalistis Hebræis sumptum ut è Simone accipere possumus, sensit rationalem esse hominem rebus alijs nobiliorem utputa diuiniorem, non tantum una operatione nec uniformi effectu contentum ut cætera quæ sola natura trahuntur semper eodem modo agente, sed uarijs dotibus instar Pandoræ præditũ, quibus sponte utatur in omnem euentum pro libera uoluntate, ob quam libertatem ait, θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν οἷς ἱερὰ προφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα. id est, Diuinum genus est hominibus quibus sacra promouens natura ostendit singula, quippe illa sacra natura est anima intellectiua, secundum igitur intellectum Deo accedit homo ut mero syncerum, atque secundum sensus inferiores à Deo recedit tanquam impurum à puro, quo fit ut ratio quæ nobis (ut inquit ipse) ostendit singula, dum se ad mentis fruitionem conuertit, beatos nos faciat. contrà uero dum ad sensuum discurrit libidinem, miseros, ut inter uirtutem & uitium medius homo positus uideatur, uelut substitutus apex in litera Pythagoræ discrimine secta bicorni, ad quem Hercules ille Prodicius tenera tum ætate cogitabundus resedit. Quemadmodum uero ut Solon apud Herodotum Crœso affirmauit, ante obitum nemo supremaq́ funera debet dici beatus, ita nemo certè miser putandus est, dum hanc uitam uiuit. Sed scilicet ultima semper expectanda dies homini est, qui si abiecto corpore tunc uitijs permanserit oneratus, incipiat esse uere miser, & eam miseriã ut superiore oratione accepisti, Pythagoras in duo genere diuidebat. Nam post mortem miseri, aut bona propè habent, quæ sunt beatitudinis dona, quamuis ea nec aspiciant, nec audiant, quia Dei uisione nondum fruantur, hi de saluandorum numero sunt, non extrema miseria grauati, ut tandem aliquãdo pœnas euadant constitutas, aut denique ab eis bona longissimè distant, ut mala nunquam ullum habitura sint finem, & ij appellantur infinita damna habentes. Duo igitur inferiorum habitacula hic describũtur, Elysius campus, id est transitorius, illorum quibus bona prope sunt, supera ut conuexa reuisant. Et tartarus ab horribili sono, quasi tortor teter terror uocatus, illorum quibus sua damna sunt infinita, qui kylindris radijsq́ rotarum districti pendent, ubi sedet æternumq́ sedebit infelix Theseus, & ei similes, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν, ut est à Platone Pythagoram imitante

ſcriptum, id eſt, Vnde nunquam egrediuntur. Hic mihi accedant obiurgatores qui blacterare in eundem Pythagoram non deſinunt tantum & tam præcipuum uirum, cuius dictamini ceu oraculo deorum ereditum eſt. Quare dictator ueritatis uelut aliter Apollo illi ſeculo nominabatur, quod ipſum uocabulum Pythagoras deſignat. Rumorem autem de illo paſſim diuulgant, hanc eius fuiſſe opinionem quòd anima humana quorundam poſt mortem corpora brutorum informet, quod uiris ratione utentibus incredibile uideri debet, de tam excellenti philoſophiæ autore & abundantiſſimo ſcientiarum fonte unde ad nos emanauit diuinarum & humanarum rerum cognitio. Quin potius ea ſuſpicio tranſanimationis ex hominibus Pythagoricorum myſteriorum partim ignaris, partim ob inuidiam peroſis orta eſt. Non enim caruit æmulorum liuore præſtantiſſima eius uiri uirtus, innocentiſſima uita, egregia doctrina, celebris fama, utq́ſit, nihil nõ pollutum reliquerunt inuidi carptores, Timon, Xenophanes, Cratinus, Ariſtophon, Hermippus, & alij quorum non exigua multitudo eſt, qui de Pythagora ſuis in libris mendacia plurima ſcripſerunt, ac ea prodiderunt quæ nuſquam ab illo uel dicta uel ſcripta fuere: aut eiuſcemodi ſi qua dixiſſet, tamen ita in peiorem ea ſenſum peruerterunt ut facile crederetur talis ac tantus uir inconſiderate docendo aberraſſe, de rerum principijs, de numeris, de faba non guſtanda, de abſtinendo ab animatorum eſu, de inferis, deq́ metempſychoſi & tranſitu animarum, de quo nunc tractamus. Qui enim exemplaria & ſpecies rerum ita diſtinxit, ut mutuo tranſmutari confundí ue nequeant, quónam modo humanam eſſentiam quæ ſua eſt forma communicaret bruto? cum & autore ſe ipſo ne unitas quidem ſubſtantiua certi numeri ſecundum naturam eſt unitas alterius numeri. Quare ait, αἱ δὲ μονάδες ἐν τῇ δυάδι αὐτῇ, πρὸς τὰς ἐν τριάδι αὐτῇ ἀσύμβλητοι. i. Vnitates in duitate ipſa, ad eas quæ ſunt in ternitate ipſa, ſunt inconiectiles. Ita in phyſicis conſtat, quanquam longe ſecus agitur in Mathematicis, de quibus nihil in præſentia nobis eſt negocij. Vnum autem cuiuſq́ rei eſt eſſentia participata, quæ alterius rei eſſentiam non occupabit, ἑκάστη μὴ οὐσία ἑνὸς εἴδους μετέχει. id eſt, quælibet enim ſubſtantia una ſpecie participat. Ideo in diſparis animantis uitam tranſire non poteſt, uel ulla qualiſcunq́ beſtia, quin potius manet in ſuæ lege naturæ ſuum tenens munus, ὥστε τὸ εἶδος εἴδει οὐ συνέρχεται. id eſt, Itaque ſpecies ſpeciei non coincedit. Tametſi nanque unum ſigillum multis impreſſum plures ceras effigiat, non tamen plurium ſigillorum formas diuerſas eadem cera ferre poterit. Haud igitur ſigillum formæ humanæ quæ eſt imago Dei, naturam inferiorem ſigillare permittitur, quod ut omnia ſua Pythagoras ænigmaticè propoſuit, ſic & huius opinionis certam ſententiam nota propria deſignauit, cum inter alia ſymbola iſtud ſibi gratiſſimum celebraret, ἐν διακτυ-

λίῳ

λίῳ θεοῦ εἰκόνα μὴ περιφέρειν. id est, In sigillo Dei imaginem non circumferre, quod meo arbitratu recte intelligitur ad hunc ferme modum, Imaginem Dei quę est anima hominis naturas alias circumcirca non sigillare neque formare posse. Sic enim Hermes Trismegistus Ægyptiorum doctor in libro ad Asclepium. Hominis, inquit, una pars simplex est quam uocamus diuinæ similitudinis formam, & paulò inferius ita, duę sunt imagines Dei, mundus scilicet & homo. Quòd inique igitur explanauerint eum uel inuidi uel ignari, de trãsitu animarum post mortem, simul etiam de illarum descensu ante hominis generationem, profectò nullus modo extat qui non id mecum sentiat uel ulla mente præditus. Quando nanq; multi animam hominis de potentia materiæ putabant educi, statuit noster ipse magis credendum esse, infundi eam corpori ab ipso Deo, & ob id eam asseruit ante corpus esse, quòd non tempore intelligendum est, sed puritate & naturæ dignitate. Hanc itaque infusionem appellauit animæ descensum, quem postea multis ambagibus uarie sectatores tractauerunt sua quisq; uia, non semper pro autoris uoluntate, qui descensum animæ humanæ in corpus nõ secundum situm accipi præcepit, nec iuxta motum à mundo intellectuali per singulas sphæras ad mundum elementarem ut Proclus & astipulatores alij, sed pro naturalium formarum serie, in qua corporis humani ultima perfectio est anima rationalis, quæ ita totum perficit ut homo animal diuinum optimo iure appelletur. Voluit igitur Pythagoras animantia sola quorum sacra natura, id est ratio demonstrat singula, diuinum esse genus, scilicet à Deo propagatum ut aureis edidit carminibus, cuius species nec mutetur nec conuertatur, sic generum singulorum formas esse permanentes, licet in eadem sua forma dissimiles. Post hominis uero mortem si iustus decesserit animam eius transcendere purum ætera, & æuum degere cum beatis, tanquam Deum cum dijs. Ita enim ait, ἡνίοχον γνώμην στήσας καθ' ὑπερθεν ἀρίστην, ἣν δ' ἀφρμείψας σῶμα, εὖ αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς, ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός. id est, Aurigam iudicium statuens superne optimum, cum relinquens corpus in ętherem liberum uenies, eris immortalis Deus, incorruptibilis, nec ultra mortalis. Sin autem iniustus & scelerosus in peccatis insanabilibus & mortalibus decesserit homo, tunc animam eius omnem suum reatum uarijs diluere pœnis docuit, easq; pœnas pro magnitudine ac multitudine criminum magis atque minus fore duras & durabiles, quibus delegata sint loca hæc naturæ inferiora, & corpora tum imaginaria seu figuralia, tum quandoque uera, non quæ informet ut essentialis portio, sed quæ inquilini more, pœnarum sustinendarum causa inhabitet, aut quibus per indistantiam localem assistat, uelut motrix intrinseca mobili, uel circa quæ cruciatibus subiecta torqueatur, ut Tityus circa uultures, & Ixion ad serpentum rotas, & Tantalus in flumine, & Sisyphus apud saxum, &

Prometheus cum aquilis. Quandoquidem dæmon Tartaræus potest corripere ac obsidere corpus, cur non anima turpis ad inferorum pœnas damnata, uel uerum cuiuscunq; speciei corpus ingrederetur Dei dispensatione, uel aerem induta, ostentaret quamlibet aspectibus nostris formam, ut Dido moritura Æneam alloquitur, Sequar atris ignibus ardens. Et Plinius iunior rem scribit creditam, de domo quam Athenodorus Tharsensis philosophus coemerat, eam fuisse importuno strepitu infamem, quòd ibi simulacrum horridi senis aspiciebatur, & quotidie nostra quoque ætate similia occurrunt terriculamenta, modo crassioribus exuuijs. Tum uariæ illudunt species atque ora ferarum, fiet enim subito sus horridus atraq; tigris, squamosusq; draco & fulua ceruice leæna, aut acrem flammæ sonitum dabit, omnia transformat sese in miracula rerum, ignemq; horribilemq; feram, fluuiumq; liquentem. Hæc sane corpora uocamus phantastica, hoc est apparitiua, quæ assumere possint tam animæ hominum solutæ quàm dæmones, ut de Lamia nouimus Menippi Licij philosophi procace proca in pulchram mulierem apud Corinthum conuersa, quam Apollonius Tyaneus publice deprehendit lemurem esse, ut denique senex ille pannosus & mendicus Ephesijs quondam causa pestilitatis, hoc genere Metamorphoseos notatur, quem lapidibus obrutum aiunt uisum esse canem quasi Molossum. De utrisq; scripsit Philostratus secundus, in libro de uita Apollonij quarto. Eius autem quod Pythagoras dixisse fertur, se quondam Euphorbum fuisse alia ratio est: non enim talem dicendi morem ipse primus instituit, sed longe prius in populari consuetudine apud uetustissimos usurpatum fuit, quòd qua esset quisque uirtute aut uitio præditus, alteri assimilaretur, qui eminenter eadem cõditione olim fuisset, uirum enim quem libuisset robore præstantissimum dixerunt esse Herculem. Ita M. Varro, Rusticellus, inquit, Hercules appellatus mulum suum tollebat. Et Numenius Pythagoricus aperte scribit nihil aliud esse Platonem quàm Moysen Attica lingua loquentem. Sæpe quoque Cicero dictus est Latinus Demosthenes esse, omnes à uirtutum & operum paritate ac similitudine morum, non autem ob unius substantiæ communionem: ita Litanus Plauti seruus Argyrippum dixit esse Solonem qui pariter leges conscribat, de illo in Asinaria sic ait, Nunc etenim est negocioſus interdius, uidelicet Solon est, leges ut conscribat. Ista Plauti uerba inolitam priscorum loquendi consuetudinem indicant, ut hunc hominem, dixerint illum esse quendam, qui fuerit natura, ingenio, moribus, amore, affectione, & opere similior. Vnde Romani solebãt huic adagio particulam Alter, adiungere, ut tu es alter ego, & ego sum alter tu: licet scientes & uidentes quòd reuera nec ego sum tu, nec tu es ego. Sed in utrisq; nobis sentientes esse idem ingenium, par studium, eandem uoluntatem, eundem conatum,

spiritum

ſpiritum,animum ὀ τῆ οὐσίας αὐτῶν μεταβαλλομένης. Nam animos antiqui dixerunt motus hominum & uoluntates,quare unius moris curæ ac diligentiæ,conſimilis propoſiti,æqualis motiui ac paris motus & ſenſus eiuſdem homines uiſitate appellantur unanimes. Eſt autem à priſcis philoſophis haudquaquam alienum,ut dicatur anima eſſe motiuum & ſenſitiuum in homine τὸ ἔμψυχον γὰρ τοῦ ἀψύχου inquit Ariſtoteles δυοῖν μάλιστα διαφέρειν δοκεῖ, κινήσει τε καὶ τοῦ αἰσθάνεσθαι· id eſt,Animatũ enim ab inanimato duobus maxime differre uidetur, motu & ſenſu. Quicunque igitur erga rem eandem afficiuntur & mouentur,idemq́ ſapere ac ſentire uidentur,unius eſſe ψυχῆς id eſt,animę, uulgo dicuntur. Vnde illa famoſa μετεμψύχωσις. id eſt,trãſanimatio nihil aliud reuera eſt uiris recte doctis quàm æqualis cura ſimilis motus & par ſtudium alicuius hominis mortui,poſt aliquo tempore,in altero uel eodem repertum homine uiuo. Tali æmulatione triti & uſitati ſermonis,Pythagoras quondã rediens à Perſarum Magis (ita enim ſapiẽtes illi ſuos nominant) forte inter amicos exhilarandi conuiuij gratia more Magorum uti poterat, & dicere ſe Euphorbi olim militis Troiani,Calliclis, Hermotimi, Pyrrhi,Pyrandri,Calidonæ,Alces,& demum ſuam Pythagorę animam in ſe ipſo continere,quòd inclinatam ad quædam præclara in ſingulis illorum præcipue ſita gereret affectionẽ,ſtudium & uolũtatem,ad quæ illi ipſi propenſius in uita eorum fuerunt moti. Omnium autem maxime cum in Euphorbo Troiano claruiſſet bellica uirtus,ipſe Euphorbi animam nactus eſſet,quaſi iam cor Euphorbi haberet. De quo nimirũ ſe iactare potuit,cum laudarent eum pugiles ſtudij bellici, cernentes laterum & brachiorũ totiusq́ corporis ſui robur & incredibilem erga fortiſſimos Athletas amorem penſantes,quem illis tum & precioſo apparatu & magnifico ſumptu oſtẽdebat,antè enim caricis ſiccis & molli caſeo triticoq́ nutriebant̃ athletæ,ipſe uero noſter eos carnibus tunc primus nutrijſſe cõpertus eſt. Admirãtibus igiur illis ꝙ in philoſopho literarũ ſtudioſo eſſe poſſet tãtus amor pugnę,quid mirũ ſi reſpõderit Euphorbi animã in ſe uigere,hoc eſt,ingeniũ,ſtudium,motũ,& uoluntatẽ Euphorbi apud ſe reſidere,qui tametſi eſſet pacis pręceptor & qetæ contẽplationis autor,tamẽ in ſe ipſo ſentiret belli tanq̃ Troiani deſideriũ? Quo audito,mox rumor inter temere credulos ortus erat & fama ꝑcrebruit,uel ignorantia myſteriorũ Pythagoricorũ,uel malignitate inuidorũ qui ſemper optima quęq́ ꝑuertunt & recitant audita ſecus multo q̃ ſint dicta,ꝙ Euphorbi anima in bello Troiano ꝑempti trãſmigrauerit in Pythagorã. Quæ opinio poſtea fuit adiuta ſcriptorib. atq́ poetis. Inde Ouid. in Transfigurationis lib. 15. hæc inter alias nugas à Græcis Cretizin aſſuetis more ſuo mutuatus,ſic de Pythagora cecinit, Morte carẽt animæ ſemperq́ priore relicta ſede,nouis domibus uiuũt habitãtq́ receptæ. Ipſe ego (nã memini) Troiani tẽpore belli Panthoi-

des Euphorbus eram, cui pectore quondam hæsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ. Cognoui clypeum læuæ gestamina nostræ nuper Abanteis templo Iunonis in Argis. At noli obstupescere præstans Marrane, nihil horum in Pythagoræ libris scriptum inuenies. Nam tria ipse solum edidit uolumina, primum παιδευτικὸν, secundum πολιτικὸν, tertium φυσικὸν, quem Lysidi quidã ascribunt, sit igitur tertium nobis aurea carmina. Percurre singula quęque, & nusquam reperies in eo uiro de transanimatione quicquam, quo credas facilius rumore falso seminatum esse per inuidos quicquid de illa μετεμψυχώσει fingitur, quod diuersitas narrationis plane indicat, cum alij clypeum hunc esse in templum Iunonis relatum apud Argos. Alij dicatum Palladi Athenis affirment, & quòd eius clypei hæc ipsa fuerat inscriptio, παλλαδι ἀθηνᾷ, μενέλεως ἀπὸ εὐφόρβου. id est, Palladi Mineruæ Menelaus ab Euphorbo, autor est Tyrius Maximus disputatione 16. Quantam nunc eiuscemodi testimonio habere fidem oporteat Iurisconsulti uiderint. Equidem adduci nõ possum ut credam Ouidij de transitu animarum fabulam, tam excellentem in omni scientia & grauem uirum docuisse, atq; eo minus credendum putauerim quo magis præstantes autores aliter tradidere. Nam quòd asserunt multi, apud Græcos Pythagoram inuenisse primum animas esse immortales, manifeste falsum dicunt. Homerus enim Græcorum ferè antiquissimus longe prior hoc dogma prodidit, cui apud inferos animæ defunctorum de multis rebus disserunt, & uaticinantur multa, ecquid aliud (oro te) uiri eius tam admirabile carmen insinuat, δι' ὅλης τῆς νεκυίας quàm animas nostras post mortem permanere. Deinde in socijs Vlyssis palàm ostendit, imprudentes hominum animas à corpore separatas, non quidem bestiarum naturas, sed tantum habitus brutorum induere, atq; cum tali horrore pœnas luere, quas Circe iusserit. Quicunq; autem radicem & florem tenent Moly eorum animas, autore Mercurio, fore securas, ut est in Odysseæ decimo libro. Sed ad illam de Euphorbo ironiam reuertamus, de quo idonei quotiens scribunt omnia Pythagoræ diuina dogmata fatentur, αἰνίττεσθαι hoc est allegoria obscuriore tradi. Quod Apollonius Tyanensis ille Pythagoreus tractatu cum Thespesione archiphilosopho gymnosophistarum habito in Philostrati uolumine sexto cõfirmat, ita loquens, εἰ δ' αἰνιγμάτων ἅπτομαι, σοφία πυθαγόρου ξυγχωρεῖ ταῦτα, πρέδωκε γὰρ καὶ τὸ αἰνίττειν. i. Si ænigmata tango, sapientia Pythagoræ cõcedit hæc, tradidit enim & ænigmatizare. Quãdo aũt cum Indorũ Brachmanibus in libro eiusdẽ tertio disputabat, quęrens de anima quomodo sentirẽt. Iarchas, inquit, sicut Pythagoras quidẽ uobis, nos autẽ Ægyptijs tradidimus. Suscepit Apollonius. Num igit̃ te aliquẽ Troianorũ fuisse dices? ut se Pythagoras Euphorbũ. Audi iam Marrane q̃ Thespesion catè responderit prius interrogans, quémnam ex Græcorum ducto Troiam exercitu,

exercitu, admiratione digniorem existimaret. Cui Apollonius, quòd Achilles primas Homero nactus esset. Tum Iarchas, πρὸς τοῦτον ἔφη ἀπολλώνιε καὶ τὸν πρόγονον θεώρει τὸν ἐμὸν, μᾶλλον δὲ, τὸ πρόγονον σῶμα. τοῦτι γὰρ καὶ πυθαγόρας, εὔφορβον ἡγεῖτο. id est, Ad istum, inquit, Apolloni etiam progenitorem æstima meum, magis autem progignens corpus, hoc enim & Pythagoras Euphorbum putauit. Deinde recitat Gangen Indorum olim regem Gangis fluuij filium multis uirtutibus Achillem superasse, illumq́ ipsum fuisse illud progignens corpus, quod ipse iam esset. Verba hæc non animarum transmigrationem, sed corporum transmutationem indicant, instar cuiuslibet materiæ quæ sit apta istius uel illius formam recipere. Perinde atque comœdia diceret ego prius tragœdia fui, quia ex eisdem tragœdia nascitur & comœdia literis ac elementis, ut Aristoteles ait in libro de Generatione primo. Aut canis quidam si diceret, ego ante diu equus fui, propter cuiusdam equi corpus quod depastus est canis, quo alimento in substantiam rei alitæ conuerso, equus ille plebeio sermone dicatur ipsius canis πρόγονον σῶμα. id est, progignens corpus fuisse, uidelicet unde prognatus sit. Non autem equi animam in canem transijsse, quispiam ex hoc sermone arbitrabitur. Qua igitur re Pythagoram docuisse crederem animas transire in alia corpora, eo solum, quòd se Euphorbum prius fuisse dixerit, cum hic manifeste constet atq́ conueniat non quidem animam, sed ipsum corpus iudicatum fuisse Euphorbum, & nihilominus hoc ipsius dictum non fuisse planum, sed merum ænigma, quo arcanum quoddam illi seculo incognitum uoluerit innuere, scilicet materiam primam omnium formarum nõ solum capacem, sed auaram etiam esse ac semper desiderio motam nulla forma satiari. Quod M. Antonino Imperatori philosophissimo æque uisum fuit, cum in libro ad se ipsum tertio scripsit, ὅτι οὐδὲν οὕτως φιλεῖ ἡ τῶν ὅλων φύσις, ὡς τὸ τὰ πάντα μεταβάλλειν καὶ ποιεῖν νέα ὅμοια. σπέρμα γὰρ τρόπον τινὰ πᾶν τὸ ὄν τοῦ ἐξ αὐτοῦ ἐσομένου. id est, quòd nihil ita cupit uniuersi natura ut entia transmutare & facere noua similia. Semen enim modo quodam omne, ipsum est ens ex se futuri. Et idem in libro septimo, ἡ τῶν ὅλων φύσις, ἐκ τοῦ ὅλης οὐσίας ὡς ἠρῶν νῦν μὴ ἱππάριον ἔπλασε, συγχέασα δὲ τοῦτο εἰς δένδρου φύσιν, συνεχρήσατο τῇ ὕλῃ αὐτοῦ. εἶτα εἰς ἀνθρωπάριον εἶτα εἰς ἄλλοτι. id est, Vniuersi natura ex uniuersa essentia tanquam ceræ, nunc quidem equuleum finxit. Confundens autem id in arboris naturam, simul usa est materia eius. Deinde in homunculum tum in aliud quippiam. Vnde nominatur ab Orpheo natura istis epithetis, πολυμήχανος μήτηρ. id est, multum machinatrix mater. Et ἀλλοτριομορφοδίαιτος. i. alienarum figurarũ decretrix. Quicquid fuerit, equidem longe potius opinabor Pythagorã si Euphorbũ, aut alium quempiam se fuisse dixerit, exempli causa id ænigma introduxisse. Sin autem credatur historiã texuisse, profectò non aliam ob rem fecisse putandus est q̃ ut ostende-

ret

ret posse animam separatam à corpore, rursus eandem ipsam, autore Deo, in idem ipsum corpus redire quod penitus iam reliquit & deseruit, atque non in aliud ullum, unum nanque & idem fuisse corpus quantumcunque diuersis nominibus appellatum, in quo totiens reuixerit Pythagoras ab Iarcha Indorum sapientissimo iampridem discere potuimus, non in magnitudine & quantitate, sed in substantia & entitate, ut mare quanquam est Homogenes atque unum, tamen hoc esse dicimus Ægæum, illud Ionium, istud Myrtóum, aliud Crisæum. Ita & unum hominem sæpius renatum primo nominarunt Æthaliden, deinde Euphorbum, post Hermotimum, tum Pyrrhum, demum Pythagoram illum nostrum qui tot regenerationes tanquam philosophus maxime speculatiuus & diuinus nõ attribuit naturę uiribus, sed soli Deo, quem, ut refert Heraclides Ponticus in hac Palingenesia, Mercurium nuncupauit, ut ostenderet neminem reuiuiscere, nisi uirtute diuina. Nam ut Iustinus recitat ille philosophus & martyr Christianus in Parænetico ad Græcos, hoc Deus cognomento à Pythagora est honoratus præcipue, ut dicatur ψύχωσις τῶν ὅλων. id est, Animatio uniuersorum, eo quòd animam infundat hominibus uniuersis & infusam auferat, & ablatã restituat, quoties & quando uoluerit, quale sæpius etiam in alijs hominibus uisum & experientia certa compertum est, referentibus nobilissimis scriptoribus. Nam Aristeas quondã Proconesli mortuus fuit in officina cuiusdam fullonis. Deinde septimo post anno, eius urbis ciuibus idem uiuus apparuit, & ipse tunc carmina de Hyperboreis Arimaspis composuit, cuius in quarto historiarũ Herodotus egregiè meminit. Cæterum uixit & in Armenia Er, genere Pamphylus, qui cum occubuisset in prælio, sublatis alijs decimo die cadaueribus iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit, domũq; delatus pro officio sepulturæ, ubi duodecimo à morte die dum pyræ esset impositus, resurrexit, & quæ interim uiderat, retulit. Hæc Plato scripsit de Republica, uolumine decimo. Huc etiam illud occurrit, quòd legimus puellam Romæ mortuam, cum sepulchro afferretur à Tyanensi Apollonio uitæ restitutam, in quarto Philostrati libro, & Alcestis quoque narratur ab Hercule resuscitata rursum diu uixisse.

Tum Marranus inquit, Quàm propè accedis ad nostra, Philolae: nam si coràm astaret Simon, recensere nobis de libris Hebraicis, quòd Deus olim abstulit de spiritu, qui erat in Moyse, & dedit septuaginta uiris. Post aliqua denuo tempora sublato ex hominibus Elia, spiritus eiusdem inclinauit super Elisæum, & item filium Sunamitidis ipse mortuum reuiuiscere fecit. Addo nunc Samuelem mortuum, quem suscitauit quædam mulier in Endor, qui post resurrectionem suam cum Saule Rege locutus est. Audi uerò quid Ezechiel uiderit ille propheta, campum scilicet plenum aridis ossibus mortuorum,

& accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam, & ecce super ea nerui & carnes creuerunt, & extenta est in eis cutis desuper, & ingressus est in ea spiritus & reuixerunt, steteruntq́ super pedes suos. Hæc in sacris literis continentur Hebræorum, multo plura uero in historijs Christianorum descripta leguntur. Equidem pro me tibi hoc affirmare ausim, absque parabola, sine ænigmate, & omni remota ironia, quòd uere & plane Iesus Nazarenus fratrem Marthæ suscitauit Lazarum nomine quatriduo ante mortuum. Adhuc cuiusdam etiam uiduæ filium extinctũ, uitæ reddidit. Et Iairi synagogæ principis filiam, aliosq́ in sancta scriptura commemoratos. Hunc ipsum quoque Iesum resuscitauit Deus, & in eius morte corpora multa eorum qui uita defuncti erant surrexerunt, & exeuntes de monumentis uenerunt in sanctam ciuitatem & apparuerunt multis. Paulus denique Tarsensis Eutychum qui casu è uita migrauerat, luci restituit uiuum. Martinus nondum episcopus, immo nondum baptizatus, tres mortuos suscitauit. Possem catalogum proferre hominum ab interitu ad uitam pristinam reuocatorum, nisi tu non ignorares Christianis nobis esse creditu facile, animos hominum redire in corpora, qui generalem omnium corporum humanorum resurrectionem rursus ad uiuendum futuram plane confitemur. De qua pulchre disertissimus Athenagoras Atheniensis philosophus pro Christianis librum integrum περὶ ἀναστάσεως certe doctis auribus dignum composuit. Et Turcis, Mauris, Agarenis, Mahometh in Alcoran sic loquitur, Illis dicentibus, cum eritis ossa, uel ad nihilum redacti, qualiter efficiemini homines noui? Responde. Licet lapidei uel ferrei uel si quid est durius essetis, qui uos prima uice creauit, ad uitam denuo uos resuscitandos reuocabit, hucusq́ in Azoara 26. Et rursus in 45. sic ait, Qui nos primo plasmauit, secundo uiuificabit. Vnde Pythagoram tanto maiore uelim prosequamur ueneratione, quanto is propius quàm cæteri Græcorum philosophi ferme in omnibus alijs, non solum in hac causa, nostræ accessit fidei. Aristoteles enim uidemus quàm nihil eorum credidit quæ non uel manu tetigit, uel oculis cernere potuit, uel apprehendere syllogismo. Propterea in fine tractatus de generatione & corruptione, reditum mortui hominis nullatenus admisit, debili admodum argumento usus, & Alcmæoni magis quàm suis præceptoribus assensus, contra tritum suo tempore prouerbium, ἀνύκλον εἶναι τὰ ἀνθρώπινα. Quem sequuti sunt alij quippe cohors philosophantium, in hoc reprehendendi quòd se omnia scire, alios omnia ignorare pręsumentes Pythagoram post reliquos irrident, & illud Luciani exclamant, τίς ὠνήσεται, τίς ὑπὲρ ἄνθρωπον εἶναι βούλεται, τίς εἰδέναι τὴν τοῦ παντὸς ἁρμονίαν, καὶ ἀναβιῶναι πάλιν. i. Quis emet Pythagorã, quis super hominẽ esse uult, quis scire uniuersi harmoniã & reuiuiscere denuo? Ita eum ridicule sub hasta licitantur, quasi contemnendã iumentorũ mercem,

aut

aut uile mancipium. Illis ego multa noſſe libenter permittam, dummodo patiantur & alios nonnihil didiciſſe. Id adeo nunc ſtomachum ego commotus aduerſum eos qui ſolent antiquiſſimis præceptoribus & philoſophię principibus facilè detrahere, prolixius quàm oportuit excandui, ut pernoſcas, me Pythagoram quoque tuum non ſecus amare quàm par eſt, & calumniatores ſuos uehementer odiſſe, non homines ſed monſtra hominum. Tum Philolaus, Quidam, inquit, ſunt quibus ignoſcendum eſt quòd tam recondita & arcana myſteria neſciant, non enim omnia poſſumus omnes. Ideoq; redeundum cum illis in gratiam erit ſi qua imprudentes infamauerint. Qui autem in eo quandoq; ſilentio exercitati, Pythagoreorũ togam candidam abiecerint, & contumelia cœperint eius doctrinæ maieſtatem lędere ac tanti philoſophi caput minuere, eos ego non ſolum arrogantes uerum etiam homines impuriſſimos iudicauero, quorum è numero Xenophanes eſt qui de illo in Elegia ſua luſiſſe ita perhibetur, ut cum uidiſſet aliquando Pythagoras canem cædi, miſeratus dixerit, Sine hunc, eſt enim cari ſodalis anima quam eius ex uerbis agnoui. Sed ea quidem manifeſta Diogeni Laertio extat ſugillatio, quodq; item Plutoni apud inferos Pythagoræ diſcipuli conuiuantur, qui & ipſe uiderit animam Heſiodi æneæ columnæ alligatam, gementem & ſtridentem. Tum Homeri quoque animam de ligno pendentem, & ſerpentibus circundatam. Hęc & iſtis ſimilia ſycophantiarum crimina diffamationes & calumniæ ſunt leuiſſimorum ſophiſtarum, qui contactu omnia fœdant immundo & polluunt ore dapes & ueſtigia fœda relinquunt. Quod autem de carnium & animatorum omnium eſu diuulgant, quem aſſerunt prohibuiſſe Pythagoram, ferè nil me perturbat, quoniam ſunt clariſſimi autores qui ea mendacia refellant. ait enim Ariſtoxenus ille inſignis ſcriptor Pythagoram non abſtinuiſſe ab animatis, ſed carnes comediſſe, quod Porphyrius in libro primo περὶ ἀσκήσεως ἐμψύχων probat, eo quòd athletas ab alijs caſeo ab alijs ante ficubus nutritos, ipſe prior omnibus cibo carnium aluerit, dixeritq; carnes habere uirtutem ad acquirendum robur incredibilem, ita Porphyrius. Et Apollodorus arithmeticus teſtatur illum boues centum immolaſſe, cum reperiſſet, ὅτι τριγώνου ὀρθογωνίου ἡ πλὴν ὀρθὴν γωνίαν ὑποτείνουσα ἴσον δύναται ταῖς περιεχούσαις. id eſt, Quod trianguli orthogonij ſubiectum latus tantundem ualeret quantum quæ continerent. Fuit tamen modeſtiſſimæ uitæ, mediocris nutrimenti, pauciſſimi potus, ut ſcripſit Lycon laſeus de Pythagora. Vnde rarus fortaſſe carnium ſibi uſus erat, ſæpe enim ſolo tenui melle paſcebatur, hæc omnia Athenęus de cœnis doctorum hominũ libro 10. Atq; ob id ſi ſtudioſos literarum ea quæ grauis cibi forent diligenter uitare commonuiſſet, ne cerebrum ab incauto ſtomachi onere læderetur, quo ualerent contemplationi uehementius incumbere, quis hoc non laudi daret tam fido

præce-

præceptori? ut quæ didiciſſet apud Hebræos duri alimenti eſſe in eorum lege prohibita, quę item apud Indos fugienda cognouiſſet ueluti piſces marinos ne ſtomacho quidem utiles nec deorum oblationibus acceptos (nemo enim unquam in ſacrificijs immolatum eſſe piſcem audiuit) quę deniq; apud Ægyptios accepiſſet de faba, quòd non ſit mundum legumen, ut in Euterpe ſua notauit Herodotus, ea plane in pabulum non ſumerent, tranquillitatem mentis perpetuo literarum ſtudio quærentes, quanquam eiuſcemodi pia monita noluit tam exacte & ad unguem ueluti legem duodecim tabularũ obſeruari. Nam & ipſe porculis minuſculis & hœdis tenerioribus, uictitaſſe à Xenophilo & Ariſtoxeno quibuſdam q; alijs natu maioribus, ſuis prope coętaneis proditus eſt, quem & nullo eſſe legumento ſæpius uſum quàm faba ut aluum ſenſim leuigaret, in quarto noctium Atticarum A. Gellij comperies. At de fabis pòſt inter cætera ſymbola explanabitur, nunc de numeris ueniant tibi priora in mentem quæ dixi & poſteriora quæ dicturus ſum, ut agnoſcas quàm impie turpes quidam philoſophię Sanniones primatem philoſophorum Pythagorã poſtica ſanna ſubſannant, quòd numerum docuerit eſſe omnibus rebus principium, qui cum ſit quantitas diſcreta uerius ſequatur res quàm antecedat, quaſi proiectiles fuiſſe calculos intellexerit ipſe, à quibus omnia ſint orta. Quos miror pariter non ſine riſu, quòd cum audierint crebro teſtãtibus ſapientiſſimis hominibus omnem ferme philoſophiam Pythagoricã, & eam maxime quæ de rebus diuinioribus extet, myſticam eſſe, ac per ænigmata propoſitam, nihilominus tamen hanc ſapientię diuiniſſimam partem de numeris, imitando Tyrrhenorũ ſtultitiã, plane ac citra omnem metaphorã accipi iubeant. Fuit aũt id priſcis & uetuſtiſſimi æui ſapientibus in more per arcanarũ literarũ allegorias & ſenſuũ myſteria ſapiẽtiæ profundã inquiſitionẽ tradere. Sic omnia ſunt antiquiſſimorũ tam philoſophorum q̃ poetarum ænigmatibus pleniſſima, & propter rerũ obſcuritatẽ & propter leuem uulgi contemptum, πραγμάτων γὰρ ὑπ' ἀνθρωπίνης ἀδηλίας ἀκαθορωμένων σαφῶς, εὐχμηνέστερος ἑρμηνεὺς ὁ μῦθος. inquit Max. Tyrius in diſputatione decima. i. Rerum enim ab humana infirmitate non perſpectarum manifeſte, aptior interpres eſt fabula, ea uero philoſophos recte decet quæ ſub pio figmentorum uelamine honeſtis & tecta rebus & ueſtita nominibus enunciatur, Macrobio autore, quã ego curioſiſsime ſcholaſticorum ingenia in rerum admirandarũ notionem excitare ac introducere arbitror, minori enim diligẽtia quæritur quod ante fores præſto eſt, quàm quod longe ſitum in abyſſo profundi reconditur, ita facilitas apprehendendi (experto crede) diſcipulis ſtudiorum negligentiam parit, & frigide petitur quod facillime obtinetur. Euenit & quandoq; nos ulla uerborum proprietate res abſtruſas effari non poſſe, quas longis ambagibus & uarie compoſito ſermone

cogeremur enunciare, nisi fuisset commode repertum breui ænigmate uti. Necnon illud in rem est, nam assolent aduersis castris belli duces quædam syntagmata edicere quæ tesseras nominant, ut suos quisque dux internoscere milites & se quoq; inter se queant, quemadmodum in bello Cæsaris Venus genitrix, & Syllæ Apollo Delphicus, & Marij Lar Deus, & Iephthæ Siboleth. Ita non fuerit utiq; indecorum symbola doctrinæ peculiaria & arcana familiaribus tradere, ut quicunq; discipulorum ea magis usurpassent, dilectiores fierent magistro, interq; se plus cæteris diligerent. Vnde Pythagorei symbolis quibusdam arcanis sibi quandam indissolubilis amoris & amicitiæ cathenam fabrefecerunt. Erat enim Pythagoras conciliandæ amicitiæ in primis studiosissimus, ac si quem didicisset symbolis suis communicasse, eum continuo socium amicumq; conscisebat, subscriptore Laertio. Eoq; factum est ut ardentius cuperẽt omnes Pythagoricis symbolis, hoc est mysteriorum notis uti, tum quòd futuri essent præceptori gratiores, tum ut cunctis apparerẽt nobiles esse Pythagorei. Quo motus apud Plutarchum in octauo conuiualium Philinus, ex omnibus conuiuis Syllæ Carthaginiensis ipse solus inter epulas ab animatis abstinuit, ut agnosceretur esse Pythagoreus. Quare is à Leucio patria Tyrrheno Moderati Pythagorici discipulo reprehensus fuit, plus illius dogmatis sequi scriptũ quàm sententiam, quod & in alijs Pythagoristis fuerat reprehensione dignum, qui immodeste affecti moribus separatis & singularibus, uel in sociorum & amicorum cœnis panem non frangebant ut cæteri, uel cerebella non edebant, uel surgentes ab epulis stragula conuoluebãt, uel nudis pedibus sacrificabant, uel locuturi, à sole se auertebant, uel relicta populari uia, per diuerticula discedebant, uel cum ridentibus nunquam aut parum ridebant, uel à fabarum esu prorsus abstinebant, similiaq; egregie usurpabant magis superstitione quàm recta ratione ducti. Sola imitantes ad corticem symbola, negligẽtes uoluntatem, ut talibus notis innotescerent, & uulgo Pythagorici eiusdem ordinis uiderentur. Sunt igitur eiuscemodi symbola unius collegij signa. Cæterum addamus etiam quòd diuinarum & humanarũ rerum amplissima spacia dimetientibus nobis & innumera tractantibus memoriæ plurimum conferant ænigmatica symbola, hoc est notæ quæ figunt animo, ut quotiens recordari libuerit, cito nostris obtutibus offerantur. Symbolũ ergo de rerum principijs commodissimũ erit, unum & duo, quid enim citius occurrit res singulas intuentibus q̃ unum & duo, cum causas & originem uniuersorũ scrutari uolumus. Nam primo aspectu cernitur oculis id quod est idem ipsum, & non est alterũ. Ex quo ante omnia mente concipimus quòd idem & alterum sunt unum & duo. Alcmæon autem Crotoniates qui Pythagoræ uixit ætate, duo appellauit multa, quæ dixit esse contrarietates tanquam litem forte Empedoclis,

uaga

uaga tamen posuit illa & sine fine diuersa, ut album & nigrum, dulce & amarum, bonum & malum, paruum & magnum. Aristotele in primo Postnaturalia teste. Pythagorici autem diuersa illa rerum inter se ultrò citroq; contrariarum, quas Alcmæonij contrarietates appellarunt, propter arithmeticæ artis amorem in numerum coartarunt denarium, celebrem illum & omnia continentem, ut finitum & infinitum, impar & par, unum & multa, dextrum & sinistrum, masculinum & fœmininũ, quiescens & motum, rectum & curuum, lucem & tenebras, bonum & malum, quadrum & oblongum. At hæc ita sunt utralibet, quòd duo sunt, idcirco diuersa sunt, quoniam duo sunt. Nam si unum essent, contraria non essent. In decem uero uniuersa redegerunt, quòd iste numerus omnium est perfectissimus, quo cunctę nationes & omnes populi præter Thracas cum Græci tum barbari singulas res numerant non sistentes citra, nec progrediẽtes ultra, tanquam naturalibus calculis decem digitorũ. Sane illius perfectionem ostendit iste ornatissimus mundus quem cernimus decem tantum sphæris iuxta Pythagoreos moueri, tanto etiam reliquis est perfectior, quanto plura numerandi genera cõtinet, par, impar, quadratum, cubum, longum, planum, primum incompositum, & primum compositum, quo nihil absolutius quòd in decem proportionibus quatuor cubici numeri consumantur quibus dicunt Pythagorici uniuersa constare. Architas quoq; nobilis Pythagoreus ille Tarentinus omne quod est, denario numero cõplectitur, quem Stagirita imitatus Aristoteles peripateticorum gymnasiarcha, decem genera entis nominat decem categorias, quo nomine sibi uolumen inscribere placuit, ostendenti philosophice, ut Eustathius uoluit decem πράγματα, id est, entia realia, ut Alexander Aphrodiseus decem φωνὰς, id est, uoces, ut Porphyrius decem νοήματα, id est, intellectus siue conceptus. Vel ut Iamblichus forte rectius decem uoces simplices, non ut uoces, sed ut significantes res ipsas simplices medio decem conceptuum simplicium. Assentiuntur huic Alexander Ægeus, Ammonius Hermiæ, & Simplicius, insignes sapientiæ amatores qui etiam gnauiter arbitrati sunt in istis decem generalissimis entibus duo quædam præcipua reperiri posse in quæ diuidantur, tametsi ab una essentia ortis, ueluti substantiam & accidens, siue corporeum & incorporeum, seu materiale & immateriale, aut simplex & compositũ. Ita nanq; duo amat denarius, ut ab uno progressus nascatur per duo, & per duo redeat in unum. Primus enim incõpositus ternarius est ex uno & duobus, non quidem compositus sed constans, quia unum non habet positionem secundum Iamblichum, non facit ergo compositionem, quando uerborum sequi uolumus proprietatem, οὔτε γὰρ ἡ μονὰς μένουσα ἔτι μονὰς θέσιν προσλαμβάνει οὔτε ἡ στιγμὴ μένουσα στιγμὴ τὴν θέσιν ἀπρβάλλει. ut inquit Simplicius in commentarijs super prædicamentum quanti, id est, Neq; enim

unitas manens adhuc unitas positionem assumit: neq; punctus, manẽs punctus positionem abiicit. Ex quo differẽtiam cognoscere possumus quàm distat unitas à puncto. Cumq; nihil sit ante unum, recte dicimus unum esse primum. Binarius autem non est compositus ex numeris, eo quòd ex sola unitate una & una coordinetur, & ideo primus numerus est, quia prima multitudo est, à nulloq; potest numero metiri, præterquàm à sola unitate omnium numerorum mẽsura communi, semel enim duo, nihil aliud quàm duo est: quamobrem ea multitudo quę appellatur ternarius, uerissime ab arithmeticis numerus primus incõpositus nuncupatur, binarius enim hunc præcedens nõ est incompositus numerus, sed magis proprie non compositus. Cupiens itaq; ternarius nõ esse ociosus, quin potius bonitatem suam in omnes creaturas absq; inuidia multiplicari, de uirtute progrediendo ad operationem, illud fœcundum quod est in eo multum multitudinis, productiuum tanq; numeri de numero, & illud essentiale quod est in eo unum omnis productionis fons & origo, simul & omnis processionis initium, & omnis substantiæ immutabilis permanentia perpetua mente intuetur ac respicit, & ira sese in se ipsum retorquet, per modum unitatis & duitatis semetipsum multiplicans atq; dicens, semel bis duo sunt quatuor. Ecce Tetractys illa quaternitudo de qua mihi tecum antè sermo fuit, hæc est omniũ quæ creata sunt idea, quoniã, ut aiunt arithmetici, quaternario omnis pgressio perficit. Vnde oritur decas illa quam appellamus decẽ omnium rerũ genera generalissima. Nam unum duo tria quatuor de omnipotente potentia ad energiæ actum exeuntia producunt decem, quorum dimidium est quinq: pone igitur in medium quinq, tanq; aliquem signiferum in medio exercitus & in eius latere dextro numerum proxime superiorem qui est sex, & in latere sinistro numerum proxime inferiorẽ qui est quatuor, hæc duo iuncta etiam cõstituunt decẽ: pone iterum in latere eius dextro numerũ proxime superiorẽ qui est septem, & in latere sinistro numerũ proxime inferiorẽ qui est tria, hæc duo iuncta similiter cõstituunt decẽ: pone rursus in latere dextro numerũ proxime superiorẽ qui est octo, & in latere sinistro numerũ proxime inferiorẽ qui est duo, hęc duo iuncta cõstituunt quoq; decẽ: pone demum in latere dextro reliqua nouem, & in latere sinistro unum, iamq; reduc illa nouem ad unum & resurgunt decem, quæ rursus ad uiginti relata incipiunt denuo esse unitas, & deinceps ad omnes numeros cardinales usq; ad cẽtum: sicut enim bis unum faciunt duo, & ter unum tria, & quater unum quatuor, & similiter ultra, ita bis decem faciunt uiginti, & ter decem triginta, & quater decem quadraginta, & similiter ultra, non aliter de centum, non secus de mille, ac ultra. Hæc quidem ratio erit cur decem per iota quæ uirgulà est erecta Græcè scribimus, aut per solum punctum Hebraicè notamus, quæ tamen signa tam barbaris quàm Latinis alioqui simplicem repræsentant unitatem, quippe

à qua

à qua numerus denarius oritur, & in quam desinit, cuius Pythagoricũ extat symbolum, uidelicet unum duo, quæ Zaratas Pythagorę præceptor per nomina propagationis pronunciare consueuit, unum appellando patrem, & duo matrem, testimonio Plutarchi Cheronensis in Timæi Psychogonia. Nam ut antè accepisti unum & duo cum essentia diuina producunt quaternitudinem illam Tetractyn ideam omnium rerum denario numero consummatarũ. Eam Pythagoras affirmat esse παγὰν ἀγνάου φύσεως. id est, Fontem perpetuæ naturæ, quæ nihil aliud est quàm cognitio rerum in mente diuina rationabiliter operante. Mentem uero ipsam Dei Pythagoras numerum allegorice nũcupauit, cum diceret numerum esse uniuersorum principium. Ita enim Plutarchus in libro de placitis philosophorum quarto scribit, τὸν δ' ἀριθμὸν πυθαγόρας ἀντὶ τοῦ νοῦ προσλαμβάνει. id est, Numerum autem Pythagoras pro mente accipit. Signum plane haud iniquum, quia in incorporeis nihil diuinius mẽte, in separatis nihil simplicius numero. Nec præterea cogitari aliquid potest menti similius, & ab hoc perpetuæ naturæ fonte per riuos & cannales defluit numerus Pythagoricus unum & duo, id quod ab æterno in ipso fonte immensi Oceani, fuit, erit, immo semper est, ubertim scatens, quòd homines prisco seculo nominarint Zena ipsum illud unum (ut Aristoteles uoluit hoc Homeri citans, εἷς κοίρανος ἔστω. id est, unus princeps sit) dicentes Zena pro Zeua uidelicet à uiuendo, quem Romani Iouem quasi Zeua nuncuparunt, & Cornutus in libro de Græca theologia illum asserit totius mundi esse animam. Duo autem, nominata est Hera, illius Zenos, hoc est Iouis & soror & coniunx, de quo sic Homerus in decimo quarto Iliados, ἥρη δ' εἰσεῖδε χρυσόθρονος ὀφθαλμοῖσιν αὐτοκασίγνητον καὶ διαέρα ζῆνα δ' ἐπ' ἀκροτάτης κορυφῆς πολυπίδακος ἴδης ἥμενον. id est, Hera, hoc est Iuno aspiciebat aurithrona oculis eundem fratrem & leuirum Zena, hoc est Iouem in summo cacumine plurifontanæ idæ sedentem. Quo facilius sensa possumus sapientissimorũ poetarum de origine rerũ cognoscere, quòd in multifontana ida, qui mons sic à prospectu nominatur, ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν à præcognitione ἐκ τοῦ ἴδω τὸ γινώσκω Iupiter & Iuno resident, tanquam unum & duo in quaternionis idea illa riuosa. Vnde fluunt omnium rerum principia quę philosophi ætate posteriori formam & materiam nominarunt. Idemq́ apud nos est forma & materia prima, quod apud uetustissimos philosophos unum & duo, apud idoneos illustresq́ poetas Iouis & Iuno, qui coeunt in Gargari montis ida & conueniunt in diuinæ mentis idea, binis ambo bigis & quatuor ambo equis ducuntur, sed descendendo Iupiter in olympo manet, Iuno ad inferiora tendit Homero teste, sic dicens, εἷμα γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης. νῦν δὲ σεῦ εἵνεκα δεῦρο κατ' οὐλύμπου τόδ' ἱκάνω. id est, Vado uisura pabulosæ extrema terræ, nunc autem tui causa huc per olympi istud uenio. Neuter tamen alterum omnino deserit. Hoc

igitur modo exit à mente diuina uniuersi exordium. Respiciens enim Tetractys ad sui essentiam quæ est prima unitas, omnium productrix, & simul originem suam à primo producto reminiscens quoniam binarius est, sic ait semel unum bis duo, mox cõstat quaternarius, habens in cacumine uerticis sui summam unitatem, fitq́ subito pyramis, cuius basis est quaternarius planus apud arithmeticos superficiem significans. Super quam diuinę unitatis iam memoratę lux radians formam & speciem facit ignis incorporei. Propter Iunonis hoc est materiæ discessum ad inferiora, unde confestim oritur natura luminis essentialis, non ustiui, sed illuminantis. Et hæc est creatio mundi medij, quem Simon Iudæus appellauit supremum, quia Deitatis mundus comparationem non patitur, ideoq́ se iudice supersupremus & incomparabilis ille nominatur. Recte uero medius hic dicitur olympus, quia totus lucidus & separatarum formarum plenissimus est ἵν' ἀθανάτων ἕδος ἐστι, Iliados octauo, id est ubi immortalium area superficies siue pauimẽtum extat, cognominatur enim habitaculum Deorum, seu ut rectius Maro in Æneidos decimo, Deûm domus alta, cuius quidem culmen est unitas, parietes trinitas, & superficies quaternitas. Idq́ clarius cernitur cum iam numerus à diuinitate sua emanando paululum declinauerit & diuerterit ad creaturarum figuram, tunc etenim ponamus simul & pro Tetracty tetragonum, & in quolibet eius angulo punctum instar unitatum, & pro unitate fastigij quæ nunc cœpit habere positionem, eleuemus quantum fieri potest summum apicem. Eo peracto, quatuor latera in altum erecta, quatuor erunt trianguli super latitudine sua quadrangula constructi, & in unum punctum excelsum ducti, ecce pyramis ipsa, quæ est forma ignis, testimonio Timæi Locri Pythagorei in libro de anima mundi, dorice sic scribentis, ὀξῶ ἃ πυραμὶς τέσσαρας βάσιας καὶ τὰς ἴσας γωνίας ἔχοισα συντίθεται, εἶδος πυρὸς εὐκινατότατον καὶ λεπτομερέστατον. id est, ex quo pyramis quatuor bases & æquales angulos habẽs componitur, forma ignis perquàm mobilissima & tenuissima. Est ea sane absq́ materia, lux essentialis separata, proxima Deo & uita sempiterna, ut in duodecimo libro qui Postnaturalia inscriptus est, & in secũdo de Cœlo, legitur sic, Mentis opificium est uita, Dei autem operatio est immortalitas, istud autem est uita æterna. Hæc à Pythagoreis mutuatus est Aristoteles. Atqui Deus ipse non est lux creata, sed lucibilis autor omnis lucis, quare pyramidem absolutissimam & retractissimam à triangula basi in altitudinem sese erigentem quę similiter igneum uigorem significat Deus Opt. Max. in diuina secum trinitate incomparabilis mundi continet. Vnde & Chaldæi & Hebręi Deum esse ignem perhibent. Quam uero pyramidem quaternio producit, ignea lux est incorporei & immaterialis separatarum intelligentiarum mundi, extra cœlum uisibile, qui à Græcis uocatur αἰὼν, à nobis seculum, æternitas & æther. Vnde &

æthra

æthra, fulgor æternitatis dicitur, ubi non est corpus, nec̃ locus, neque uacuum, nec̃ tempus, nec̃ senectus, nec̃ transmutatio, sed ibi sunt entia inalterabilia & impassibilia optimam habentia uitam, qua toto æone, id est æternitate seu æuo fruuntur. Hæc ferme sunt ipsa uerba Stagiritæ Aristotelis, quæ tam ipse quàm Platonici & Socratici ex Pythagora suxerunt, qui sic in aureis carminibus scripsit, Si relicto corpore in æterem liberum peruueneris, eris immortalis Deus, & his scilicet in hac uita superatis cognosces immortalium deorum & mortalium hominum cohabitationem, quam eleganter ipse appellat σύστασιν à simul stando, per quod tres nobis proprietates medij ostẽdit mundi, quem liberum æthera nominat, ut qui à materiæ potentia segregatus & præseruatus in libertate calescat Dei ardore, ac insensibili motu inferiora calefaciat, dicitur enim æther ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θέρειν καὶ θερμαίνειν hoc est, à semper calefaciẽdo. Proprietates autem illius sunt hæ, conditio, chorus, & ordo. Mundi eius conditio est quòd totus quicquid est, purissima forma est, cuius asserunt Iouialem esse naturam, quę immortalia & mortalia informet, & fotu specifico cuncta utriusq; mundi in suo esse conseruet, de quo extat illud Maronis, O pater ô hominũ diuũmq; æterna potestas, propterea ob fomentarium calorem spiritalis sol ueteribus Iupiter dictus est. Vnde salij Martis gradiui sacerdotes eum appellarunt Lucecium & Cretenses Phosphorum, ab eoq; denominatus est olympus quòd totus fulgeat, in quo Iouis totus præsidet & præest, immo totum quod est, ipse est. Hinc illud quoq; in 9. Æneidos, Annuit & totum nutu tremefecit olympum. Eius inquam conditio est receptare formas simplices immateriales separatas per se existentes, tam uniuersales quàm indiuiduas. Continet enim omnes ideas ideatas generum & specierum ceu exempla ipsa contractioribus exemplarijs imitanda, quorum exemplar signatorium consistit in mente diuina. Sic enim nominari uolumus, quod est in mundo, Deitatis exemplar absolutum. In mundo intelligibili exemplum abstractum, & in mundo sensibili non exemplum sed exemplarium illud contractum, quomodo sigillum, figura, & cera sigillata. Huc accedit secundo chorus altera proprietas ἀπὸ τῆ χαρᾶς. id est, à gaudio beatorum spirituum infinito & uoluptate immutabili Deorum dictus, qui uernæ illius habitaculi & ciues olympionicę myrtea corona ouantes ambrosia, & nectare diuini conuiuij perpetuo fruuntur, ridentes risum inextinguibilem. De quo sapientissimus poetarum Homerus, ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν. id est, Inextinguibilis certe excitabatur risus beatis dijs, quod omnino lætitiam illorum sempiternam ostendit, quam iugi concentu citharis & cæteris musarum instrumentis, tripudio, choreis, sympostjs, quietis cubilibus, & interdum dulci somno, præclarus ibidem Melesigenes eleganter in Iliados primo libro expressit. Quid ni Marrane?

Quæ'nam poteſt maior cogitari uoluptas quàm Deum uolentem, & poſt eum rerum omnium ideas atq; formas aſpicere purius & tranſparentius quàm ſecundarum creaturarum ulla, deinde uiſiones quoque ſuas inferioribus pandere, quod omne deorum eſt propriũ atq; ſuum. Ideoq; Dei quandoq; uocantur Latine, qui & Græcè thei ἀπὸ τοῦ θέας. id eſt, à ſpeculatione ac uiſione, unde θεᾶσθαι ſignificat aſpicere uidereq;, nominantur & quandoque angeli, dum uiſa cæteris enunciant, ut Orpheus Mercurium inuocans ait, ἠλῦθι μου ἑρμεία διὸς ἄγγελε μαιάδος υἱέ, ἑρμηνεῦ πάντων. id eſt, Audi me Mercuri Iouis angele Mæadis fili, explanator omnium. Nam ἀγγέλλειν nunciare ac explanare dicimus. Crebro autem alterum pro altero uſurpamus, non conſideratis officijs, ita ut promiſcue dijs & angelis in communi ſermone utamur. Cum enim Porphyrius in Iſagogis ſcripſiſſet quòd & nos ſimus rationales & angeli, Boetius Latinè uertens, Sumus inquit & nos rationales & dij, hoc modo reperitur in libris aliorum quàmplurimis. Quare nemo putet cum deos nominamus, ipſos æquari ſummo & ineffabili Deo qui nomen non habet, ſupremam nanque maieſtatem eo appellamus Deum, quòd entia cuncta infinite penetrat & ſingula percurrit ἀπὸ τοῦ θέειν, id eſt, currere. Vnicuiq; nempe rei multo interior eſt Deus & magis intimus quàm ipſa ſibimetipſi, ut qui cum nullibi eſt, ubique ſit. At non ſic deos appellamus, qui terminatam ſibi tantum exequuntur prouinciam, & ad deſtinatum mittuntur opus. Dæmones aũt quantumcunq; boni, tamen à Pythagora ſectatoribusq; ſuis in hunc medij mundi chorum non admittuntur. Sic enim Plotinus qui, teſtantibus Porphyrio & Longino, myſteria Pythagoreorũ perfectiſsime ſectari uiſus eſt, in libro de amore Deorum, inquit, genus eſſe paſſionis expers dicimus & putamus. Dæmonibus autem paſſiones adiungimus, dicẽtes etiam ſempiternos eſſe, ſequenti poſt deos gradu. Præſtat ſane, nullum in mundo intelligibili dæmonem appellare, quinetiam ſi ibi ponatur ipſe dæmon, eſſe Deum exiſtimare. Hactenus ita Plotinus certe in omni doctrina ſua breuis, at animo attento ponderandus, præſertim hoc in loco tam difficili quo poetarum ueterum arcana de dijs loquẽtium poterunt abſq; moleſtia & ſine plurimorum exacerbatione legi. Tertia intelligibilis mundi proprietas ab eodem Pythagora demonſtrata eſt, cum ipſe dixit, Si recta ratione uixeris, male acta dolendo, & bene acta gaudendo, deosq; oraueris ut opus tuum perficiant, tum exuto corpore profectus in æterem, eris immortalis Deus. Ordo nobis hic conſiderandus eſt, quem in conſequenda hominis beatitudine Pythagoras obſeruat. Iſtud nanque medij mundi cœlum incorporeum ac iſte beatorum inuiſibilis olympus nihil impurum admitttit, fugienda ergo uitia ſunt, & amplexandæ uirtutes. Deinde ſalus hominum, miſericordia Dei eſt, quare diuinitas colenda, & ſuperi ſunt exorandi, ut opus noſtrum

perficiant,

perficiant,tum demũ nihil iſtuc materiæ,nihil corporis,nihil permixti recipitur,antè igitur moriendum eſt & ſancte corpus exuẽdum quàm in deos referaris.Hic eſt ordo ſeculi ſeculorum,ut uita functis hominibus puris & electis,deorum indigenarum ſupercœleſtis quoque aula concedatur,& communis ſit pariter humanæ naturæ cum ſacro ſanctis angelicis ſpiritibus perpetuæ uitæ conuerſatio in inuiſibili & tamen omniformi ſupercœleſti cœlo & orbe requieto extra ſenſibilem mundum,ubi uerus eſt olympus non imaginarius neque poeticus,non qui uoluatur,qui rotetur,nunquám ue quieſcat. Tum Marranus,quàm proxime,inquit,ſectis noſtrorũ temporum accedit unus maxime omnium Pythagoras.In lege nanq; Chriſtianorum ſimiliter legitur quòd homines mortui de numero reſurgentium ſunt ſicut angeli Dei in cœlis,ubi tabernaculum Dei cum hominibus.Non intrabit aliquid coinquinatum aut abominationem faciens & mendacium.Erit iſtic uox citharœdorum cithariſſantium citharis ſuis, cantusq; nouus, & mortui qui ſunt ſcripti in libro uitæ uident cœlum nouum & terram nouam. Prius enim cœlum ac prior terra eis abierunt. Ibi etiam ciuitas beatorum habens claritatem Dei,& illius muri ex iaſpide conſtructi,fundamentaq; eius omni lapide precioſo ornata. Et Dominus omnipotens templum iſtius ciuitatis eſt,& de ſede eius producitur fluuius aquæ uiuæ ceu ſplendidus cryſtallus.Ciuitatis uero eius fundamentum & ſuperficies eſt tetragonus,uerba enim Apocalypſis unde illa ſumuntur ſunt hæc, καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται. id eſt,& ciuitas tetragonus iacet, quod explanauit Hippolytus Papa ſic eſſe διὰ τὸ ἑδραῖον καὶ τετράγωνον. id eſt, propter ſolidum & firmum.Id tu mihi reducere uideris ad Pythagoræ tui numerum,& figurã pyramidis,à tetragona baſi erectam,quam mathematici ſolent inter ſolida reputare,plane quem uirum iure optimo non modo tuum,ſed uerius noſtrum Pythagoram appellarem:& appellabo quidem noſtrum,dum uiuam,quòd ipſe ſolus ex omni ueterum philoſophorum turba magis apte, magis cõcinne propriéq; noſtra ſapuit,neq; ualde & à Perſis quoq; & à Paleſtinis ac noſtra ætate Arabibus in doctrinæ ſuæ fundamento diſtat,idem ipſe Italicæ philoſophiæ autor. Sic enim in lege Mahometh Azoara prima legimus Deum paradiſo bonos inducturum, ubi dulciſsimas aquas, pomaq; multimoda fructus uarios & decentiſsimas ac mundiſsimas mulieres,omneq; bonum in æternum poſsidebunt. Et in Azoara quinquageſima prima,Credentes autem (inquit) & benefacientes pulcherrima loca paradiſi poſſeſſuri, omne ſuum uelle perficient, hocq; lucrum eſt maximum,huiuſmodi quidem pollicitum illis ſummam lætitiam denunciat.Deinde in doctrina Mahometh ita ſcribitur, Si ullum oblectamẽti genus iſtic deeſſet,beatitudo minime plena eſſet. Fruſtra ergo delicię adeſſent,ſi uoluptas deeſſet.Et paulò ſuperius,Incolis quidem

dem eius (ait) quicquid desiderari potest statim aderit, qui & perfecti erunt omnes in statura quidem Adæ, in forma uero Iesu Christi, nunq̃ incrementum aut detrimentum aliquod patientes. Et in Alkoran capite 64. Illic quidem credentes accubabunt tapetis sericis stramentisq; purpureis, omnibusq; sibi dilectis perpetuo potientur, ducentq; puellas formosissimas, ut sunt hiacynthus & margaritæ, ab hominibus atq; diabolis nunquam deuirginatas nec menstruatas. Erunt & illic arbores colore inter uiridem croceumq; nitentes, fontesq; fortiter emanantes & palmæ pomaq; punica. Nónne hic sentis Philolae quòd pars maxima horum symbolica est & instar Pythagoricorum allegorice narrãtur quæ audisti ferme omnia, id quod palã fatetur Mahometh in libro de doctrina, cum ait, Seculum aliud post mundum istum, cuius nulla similitudo exponi potest, nec enim coloni eius mortales, nec dies eius sub numero. Quo se ipsum declarat, quæ scripserit de diuinis allegorice scripsisse, non autem omnia plane ac aperte, quando numerauit dies beatitudinis, dies mille annorum, & annos quadraginta millia annorum. Et paradisum habere docuit pauimentum aureum smaragdis & hiacynthis crebro interpositis distinctum, omni fructifera consitum arbore, decurrentibus per amœna arua fluẽtis, quorum alia quidem lac, alia mel album, alia uinum purissimum fundunt. Hæc in libro de doctrina Mahometh, ubi per sensibilem paradisum designat illum quem ratio non capit intelligibilis mundi hortum. Duos enim paradisos Mahometh in Alkoran nobis proposuit, cum in Azoara sexagesima quarta sic ait, Qui timuerit coram Deo stans, duos paradisos rerum multiplicium omnimodiq; boni fœcundos, hæreditatem accipiet. Ita duas quoq; ostendit ciuitates Ierusalem cum in libro de doctrina quærit Abdias, Quare Ierusalem dicatur domus benedicta. Respondit Mahometh, quia in directo cœlestis Ierusalem sita sit. Hæc ad nostri Simonis Cabalistica quæ audiuimus haud parum alludunt de duobus scilicet paradisis, altero cœlesti & altero terrestri, geminos mundos significantibus, uisibilem & inuisibilem, illum nobis præsentem, hunc nobis futurum, eum quidem de quo satis multa paucis exposuisti, quare oro Philolae, ut de nostro quem incolimus reliqua prosequaris. Faciã sedulo Philolaus ait, si prius te cõmonuero, ne cum rudibus philosopha stris erres, qui ea tantum sapiunt quæ oculis cernunt, ut de Antisthene scripsit Ammonius Hermiæ cum dixisset, hominem quidem uideo, humanitatem autem non uideo. Vnde putabat humanitatem nihil rerum esse nisi cogitationis figmentum, τοῦτα ἐκεῖνος ἔλεγε, τῇ αἰσθήσει μόνῃ ζῶν. καὶ μὴ δυνάμενος ὡς λόγῳ εἰς μείζονα σύρισιν ἑαυτὸν ἀνεγκεῖν. interpretatur sic, Hæc ille dixit sensualitate sola uiuens, & non potens ratione, ad maiorem inuentionem se ipsum extollere. Ita Hermiades in Isagogis. Haud aliter tam sunt quidam obtuso ingenio, qui acutius contemplari nequeant,

queant, nisi quantum pupilla comprehendat, aut manus palpent, & quæcunq; de uita cœlesti, de dijs superis, animabus in cœlo aut de cœlitibus audiunt, ea mox ad cœlum uisibile stellarumq; sphæras, firmamentum mobile, & quos sensu percipimus orbes referunt, ac si in tãta turbine motuum, & irrequieto mutat onum tumultu, uita beata cõsistere posset, sequentes uero spiritalem sensum & subtilem mẽtis illumi nationem, ipsi quidem intelligunt maiorem esse ueritatem in ijs quæ non uidentur quàm in ijs quæ uidentur. Ad hoc Pythagoreorũ propensa est uoluntas ut credant hunc mundum & quęcunq; in eo locantur adumbratam esse imaginem eius qui extra cœlum sit ueri mundi, comprehendẽtis solum intelligentias formas & animas à corporibus substantia uirtute & operatione separatas. Vnde animas hominum ab omni sorde turpi defecatas abiecta corporali mole firmiter tenent & nullatenus dubitant extra hoc uisibile cœlum omne ac ultra qualemcunq; incommoditatis aleam in ęternitatis olympo habitare, omni libertate donatas & nulli necessitati obstrictas. Sic enim Plotinus ille insignis Pythagorista in libro de proprio cuiusq; dęmone quarto Animas (inquit) extra sensibilem mundum profectas existimandũ est naturam dęmoniacam trãscendisse, omneq; generationis fatum, omnemq; huius mundi necessitatem quamdiu in mundo intelligibili habitant, hucusq; Plotinus. Quotiens igitur de ueris dijs, intelligẽtijs separatis, formis purioribus, spiritibus diuinis, superis, angelis & beatorum animabus mentio fit, semper recordare acanimo tecum uersa, mundum illum supremum, intelligibilem, immaterialem, simplicem, abstractum, cœlum incorporeum, olympum inuisibilem, paradisum mentalem, supernaturalem ætera, nec sensu nec ratione perceptibilem. Eo nunc dimisso ad nostrum descẽdamus corporeum & sensibilem mundum, cuius exemplar est in mundo incomparabili Deitatis & exemplũ in mundo intelligibili formalitatis, & exemplarium τὸ αὐθυπόστατον in se ipso. Vtq; unum origo est mẽtalis mundi, sic duo nobis exordium erit mundi corporalis, qui non esset corporalis, nisi quatuor istis constaret, puncto, linea, superficie, crassitudine, ad exemplum cubicæ figuræ quam constituunt, unum duo tria quatuor. Vnum enim positione fixũ creat punctum. Linea de uno puncto ad alterum protracta è duobus fit. Superficies ex tribus oritur lineis. Crassitudo quatuor nascitur, ante, retrò, sursum, deorsum. Ideoq; sicut binarius per se multiplicatus numerando bis duo quaternionem producit. Ita binarius semetipsum in se ipsum replicans atq; retorquens dicendo, bis duo bis, primum cubum facit. Ergo post quinarium quæ tetragonica est pyramis, quippe principium intelligibilis mũdi, accedit sex laterum octonarij cubus, quem mundo sensibili architectum præficimus. Nam inter rerum principia, non habetur septenarij ulla memoria, quoniam uirgo est nihil pariẽs,

idcirco

idcirco Pallas nominatur. Ad cubum ergo primum diuertimur, sane fœcundum numerum, multitudinis uarietatisq́ principem, ut qui per duo sit & per quatuor constitutus. Vnde sicut Pythagoræ præceptor Zaratas duo nominauit matrem, ita nos cubum inde progredientem appellamus materiam, omnium rerum naturalium fundum & fundamentum sedemq́ substantialium formarum. De quo Timæus Locrensis ille Pythagoreus in libro de Anima mundi scribit, ἐκ δὲ τοῦ τετραγώνου γεννᾶσθαι τὸν κύβον ἑδραιότατον καὶ σταθαῖον πάντη σῶμα. ἓξ μὲν πλευρὰς, ὀκτὼ δὲ γωνίας ἔχον. id est, Ex tetragono nasci cubum solidissimum & stabile omnino corpus, sex quidem latera, octo autem angulos habens. Huic fundo si qua forma demersa innitatur, huic solido receptaculo si fuerit illapsa & in hanc sedem materialem reposita, non uage nec communiter recipitur, sed stabiliter & singulariter fit indiuidua & incōmunicabilis, tanquam ascripticia glebæ, tempori & loco subiecta, & quasi de libertate in seruitutem materię proscripta. Igitur gemina profluere ab uno fonte rerum temporalium principia cernimus, pyramidem & cubum, idest formam & materiam quę ex eodem tetragono deprehenduntur prodijsse, cuius idea, ut antè ostendimus, est Tetractys. Pythagorę diuinum exemplar. Symbola igitur primordialia quanto potui breuius explanaui, quę reuera nihil designāt aliud quàm materiā & formam. Cumq́ oporteat tertium aliquid ponere quo uniantur, nec enim sponte confluunt nec contingit fortuitus quarumlibet formarū concursus in materiam, neq́ unius rei materia contingenter formā alterius recipit, non enim ex corpore humano mox atq́ decesserit anima generatur ęs aut ferrum, nec ex lapide fit lana, cum itaq́ oporteat ponere tertiū aliquod quo uniantur, erit, ut opinor, necesse principium aliud quàm priuationem Aristotelicam adducere quo moueatur materia ad formę desiderium, ita ut cessante hac & hac forma, introducatur uicissim ista quędā & ista. Nam priuatio & potentia nihil substantiue agunt cum sint nullius actiuitatis realis ob idq́ minimę entitatis, quāto magis certam formam alicui materię nequaquam iungere aut unire possunt. Vnde inuenti sunt qui dicerent loco priuationis motum esse tertium principium, qui cum sit accidens quomodo erit principium substantię? aut quis eius motus erit motor? Quare sapientius contemplati Athenienses ambo, Socrates Sophronisci, & Plato Aristonis, pro motu seu priuatione agillimum actiuorum posuerunt Deum dicentes, tria esse rerum principia, Deum, ideam & materiam, quod ante Pythagoras occulte symbolizauit arcanis his notis asserendo principia uniuersorum esse. Infinitum, unum & duo. Infinitudinis Deum, unitatis formam, alteritatis materiam designans autores. Infinitum in mundo supersupremo & incomparabili, unum seu identitatem in mundo intellectuali, duo seu alteritatem in mundo sensibili, est enim materia quidem altera

tio-

tionis mater. Coniungit autem Deus materiam & formam per legem ipsi naturæ impositam. Idcirco ante Pythagorę tempora uetustissimus ille Orpheus in libro Hymnorũ, post Iouem, id est formam, qui ab eo nominatur ἀρχὴ πάντων. id est, principium uniuersorum. Et post Iunonem, id est materiam quam uocat διὸς σύλλεκτρον παντογένεθλον. id est, Iouis conthoralem omniparentem, Iunonio enim cognomento materiam alloquitur his uerbis, χωρὶς γὰρ σέθεν οὐδὲν ὅλως ζωῆς φύσιν ἔγνω. κοινωνεῖς γὰρ ἅπασιν κεκραμένη πέρι σεμνῶς. id est, Absq; enim te nihil omnino uitæ naturam agnouit, communicas quidem uniuersis permixta supra quàm pudice. Itaq; post (inq̃) Iouem formam, & Iunonem materiam, addidit idem Orpheus legem, id est distributionem, ut esset tertium naturæ principium, cognominauitq́ id φύσεως τὸ βέβαιον. id est, naturæ confirmatiuum. Nam lex dicitur nomos Græcè, ut nosti, à nemo τὸ μερίζω. id est, partior & distribuo, perinde atq; distribuens omnibus quod suum est uel quod ad se pertinet. Hoc esse ait, οὐρανίον νόμον σφραγίδα δικαίαν (Sic in hymnis suis cõcinuit) id est, cœlestem legem sigillum iustum, lex enim naturæ sigillat una forma multas materias, sicut tabellio una effigie annuli multas ceras. Iam uero quælibet sigillatæ in materiam formæ non ultra uocantur ideæ, hoc est species, sed τὰ εἴδη hoc est ide, scilicet formæ ὡς τὰ ἐν τοῖς κηροῖς ἐκτυπώματα ἀχώριστα τῆς ὕλης. id est, Ceu illæ in ceris expressiones inseparabiles à materia, ut scripsit Ammonius. Proinde aperta nobis iam extat sensibilis huius origo mundi, quem pyramidis & cubi coniugium lege naturæ celebratum peperit. Earum figurarum tetragonæ bases cõtinuo unitæ dodecaedron efficiunt Pythagoricum quippe symbolum, quo designatur ipsum uniuersum ex materia & forma compositum, illius recte meminit Alcinous de dogmate Platonis, sic dicens, τῷ δὲ δωδεκαέδρῳ εἰς τὸ πᾶν ὁ θεὸς κατεχρήσατο. id est, Dodecaedro ad uniuersum Deus utebatur, scilicet cum hunc mundum fabricaret. Octangulo nanq; cubo si pyramidem ex quatuor triangulis æqui cruribus eleuatam superposueris, ędificium dodecaedri artificiose cõstruxeris ubi succumbit cubus seu talus uti mater, & incumbit pyramis uti pater. Sic enim Timæus Locrus ille nobilis Pythagoreus in libro de Anima mundi, τὸ μὲν εἶδος λόγον ἔχει ἄῤῥενός τε καὶ πατρὸς, ἃ δ' ὕλα, θήλεός τε καὶ ματέρος. τρίτα δὲ εἶναι τὰ τουτέων ἔκγονα. id est, Forma quidem inquit rationem habet matris & patris, Materia uero fœminæ atq; matris, tertia autem esse horum genimina. Ex his igitur omnia huius mundi quæ sunt, non perperam affirmamus certis seminibus & secreta facultate fieri, sane mira uarietate apparentia propter uariam formarum ad suas materias cõmensurationem & infinitorum pene accidentium quæ συμπτώματα Epicurus uocat admixtionem, per abundantiam & defectum, litem & amicitiam, motum & quietem, impetum & tranquillitatem, rarum & densum. Vnde oriuntur orbes & stellæ, quatuor item elementa, ex quibus

euaporant calidum & humidū,& frigidum & siccū,tum quælibet etiã sensuum obiecta. Inde alijs aliud contingit,& efficit omnes res ut conuertant formas,mutentq; colores,Lucretij testimonio. Sentis ne quantum nos iam cum plebe philosophorū ambulamus,& uulgariam terimus uiam quando in hæc physica lapsi sumus,quare cum multi multa de natura scripsere minus uiriū nobis adhibendū est,ut quid de rebus naturalibus senserit Pythagoras ostẽdamus,à nobilioribus & diuinioribus sumentes initiū. Naturales sunt dij,supernaturales uero dij deorum,illos mundus inferior alit,hos mundus superior fouet,unde & superi dicūtur,de quibus ante haud parum multa disseruimus. Dij deorum simplicissimi & purissimi quia nusquam sunt ideo supercœlestes sunt,quia ubiq; sunt,ideo nobiscum sunt,istic indigenæ, hic aduenæ. Nunq; enim in nostro mundo sunt nisi missi,quare angelorū nomine gaudent cum ad hæc ima deuergunt,quoniã regis regum nuncij sunt, habitu tamen & facie nobis apparent quali uolunt iuxta libertatẽ arbitrij semper beneficiorū erga nos amãtissimi. Sed inferiores dij ad supercœlestia nunq; migrant,ad nos uero & ad nostra quãdoq; legationem assumunt,unde & pari modo est quando angeli nominant. Deus autẽ Opt. Max. tam infima q; suprema & media singula penitissime inhabitat,ita ut nihil sit entium sine Deo. Præterea dij orbis nostri præstãtiores sunt. Inferiores autem in corpore humano animæ,quanq; illi apud corpora,hę in corporibus. In medio autem horū sua loca tenent dęmones & heroes. Dęmones prope deos,heroes prope animas. Quorū Pythagoras in aureis carminibus meminit,& singulis quibusq; suum tribuit cultum. Nec illis tamen aras sanguine fœdari nec animalia immolari permisit,nisi publicæ utilitatis causa,magis autem thure atq; hymnis quotidiana & priuata sacrificia fieri uoluit. Vnde illud extat, Thure Deum placa,uitulum sine crescat aratro. Cumq; homo sit quædam mundi huius effigies unde Microcosmus,hoc est paruus mundus nuncupatur,in multis paria recepit mundana nomina μεταφορικῶς & more translatitio. Mens enim in homine Deus appellatur instar mentis summę ac primę,aut per homonymian,aut per participationẽ. Et anima rationalis quæ per mentem ad uirtutes & optima quæq; uoluntatẽ inclinat,dicitur dæmon bonus siue genius,quæ uero per phantasiã & prauas affectiones uoluntatem ad uitia & pessima quæq; trahit, nominat dæmon malus. Quãobrem Pythagoras Deum orat ut homines à malo liberet,& omnibus ostendat quo dæmone utant. Exuto demũ corpore si fœdata uitijs manserit,fiet dęmon malus,& uita eius ἀνοδαιμονία Id est,infœlicitas uocatur. Sin uero abiecerit uitia,nihiloq; minus impressus ei duret sollicitudinis character, nec penitus omnem erga humanos & mortales etiam quantumuis uirtutis mores affectionem relinquerit,aliquanto erit tempore bonus dæmon,& in huius mundi amœ

nitate

nitate fœliciter fortunateq; deget ſingulari ſemper cum lętitia, tãquam quæ bene geſſerit adhuc memori ſecum mente uolutans ad eadem recte gerenda nondum extinctam retineat uoluntatem, cuius uita Gręcis εὐδαιμονία. id eſt, fœlicitas dicitur. Vnde illud Virgilij Maronis ortum eſt, Quæ gratia curruum armorumq; fuit uiuis, quæ cura nitenteis paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos. Illam animam priſcos lemurem nuncupaſſe accepi, cuius generis ſi quis ſit qui beneuolentia erga nos ita ducatur, ut noſtri & noſtrorum curam ſortitus, pacato & quieto numine domum poſsideat, lar dicitur familiaris. Sin autem propter aduerſa uitę merita nullis bonis ſedibus, interuagatione ceu quodam exilio punitur, terriculamentũ bonis hominibus inane, at noxiũ malis, larua nominatur. Cum uero incertum eſt qua ſortitione fruatur, lar ne ſit an larua, nomine Manendeum nuncupant, cui honoris gratia Dei uocabulum addidere, quoniam eos pronunciant etiam deos qui iuſte ac prudenter uitæ curriculo gubernato mortẽ ſanctam obierunt. Cæterum promiſcue deos, angelos & dæmonas etiã eos nominamus ingenuos ſpiritus, qui ſingulis quibuſq; hominibus cuſtodes addicti, minime conſpicui, ſemper adſint nõ modo actorum teſtes, uerumetiã cogitatorum, qui nos quoq; poſt mortem ſequantur uſq; ad ſummi dęmonis poteſtatem iudicium atq; tribunal. Omnia hæc ad nos ex Pythagora fluxerunt, quæ ipſe partim ab Ægyptijs, partim ab Hebræis atq; Chaldæis, & apud Perſarum ſapientiſsimos Magos didicit, poſterisq; tradidit, quorũ meminere præſtantiſsimi autores. Mercurius Termaximus Ægyptiorum illuſtris legislator & cõtemplantiſsimus ſcriptor in ſermone perfecto ad Aſclepium. Timęus Locrus in libro de Anima mundi. Heſiodus in Operibus & diebus. Plato per Diotimam in conuiuio. Per Socratem in Phedro. Itidemq; in Philebo. Per Athenienſem hoſpitem in legibus, & Epinomi, alijsq; librorũ ſuorum locis. Porphyrius de abſtinentia animatorum. Iamblichus de myſterijs. Proclus in Alcibiadẽ. Plotinus in libro de Amore & in libro de Proprio cuiuſq; dæmone. Maximus Tyrius in binis diſputationibus de dæmonio Socratis, multiq; Gręcorum alij, quos è Latinis Cicero in uoluminibus de Natura Deorum, de Diuinatione, & in ſexto de Repub. & ille quoq; Madaurenſis Apuleius in libro de Deo Socratis, & reliqui poſt illos imitati ſunt. Nec deſunt ex peripateticis qui de motoribus orbium ſyderum atq; ſtellarum, & præſidibus elementorum tractauere, ſiue corporibus illis aſſiſtant, ſeu illorum cuiq; pro cuiuſq; anima inſint, mitto dicere. Iam ſolum quæ reſtant de mundo ſenſibili paucis enumerabimus. Mundum igitur hunc qui eſt æternitatis imitator dixit Pythagoras, cõtinentiam eſſe omnium totorum ſecundum ordinationem quæ ſit in eo, qui tametſi eſt corporeus tamen in corporea habuerit prima principia, cui Stoici non ſunt in hoc aſſenſi, putauerunt enim ea fuiſſe

corporea quia ſpiritualia. Eundem ipſe & genitum & corruptibilem aſſeruit, ſed prouidentia & indulgentia Dei nunquam corrumpendũ. Dixit quoq; corpora elementorum eſſe rotunda, præter ignem qui coni figuram præferat. Colorem eſſe corporis apparentiam. Tempus, circulum, mundi extimum, motum, differentiam quãdam ſeu alteritatem in materia, generationi & corruptioni paſſibilem materiã ſubijci. Neceſſitatem incumbere mundo, & quædam de neceſſitate fieri, quędam ex fato, quædam electione, quædam à fortuna, quædam caſu, horum cauſam eſſe humanæ rationi occultam, cui aſtipulatur & Anaxagoras. Mundum item cœpiſſe ab igne, arbitrabatur ipſe noſter. Dexterũ eius in oriente, ſiniſtrum eſſe in occidente. Tum ſequutus Thaleta cœlum in quinq; zonas diuiſit, deinde in æquinoctia & ſolſtitia utraq; bina & arctum. Haud aliter etiam terrarum orbem. Præterea omnium primus reperit obliquitatem zodiaci iuxta ſolis meatum. Lunam uideri aiebat ſolum terreſtre ignitum, in ſe habens campos, montes & ualles. De anima hoc modo pronunciauit quòd ſit numerus ſe mouens quam per uires ita diſtribuit. Vitale circa cor, rationale & mentale circa caput. Totam interire non poſſe, nam rationalem eſſe ſempiterni Dei opus, irrationalem uero corruptibilem. Eidem autori referenda uidetur diuinatio uerior ad ſacrificia. Humanum ſemen utiliſſimi ſanguinis ſpumam eſſe uoluit materiæ corporeæ, ſed incorporea uirtute præditam. Cæterum fœminam pariter ſemen emittere. Deinde non ſolum hominẽ ſed alia quoq; animantia rationem habere abſq; tamen mẽte. Quòd autem magna pars horum nõ rationaliter agere uidentur, certe corporũ diſcraſia culpatur, quia debitis non ſint dotata inſtrumentis. Ideo uerba non habent ſiue cicures ſeu feræ, ſed ſymbola & notas certas pro uerbis tenent, quibus ſignis inter ſe cogitatus ſuos exprimãt. Sic igitur beſtiæ loquuntur, non dicunt, quod Græcè ſignificantius aiunt λαλῶσι μὴ, ἀφράζουσι δὲ omnium illorũ Plutarchi uolumina de placitis philoſophorum teſtes cito ualde bonos. De reliquis mundi huius ſiue ſubſtantijs ſeu accidentibus ſcriptores extant penè innumerabiles in omni philoſophorum ſecta, quorum alij generaliter ſunt loquuti de uniuerſi natura, ut Ariſtoteles, Theophraſtus, & tui Arabes, Mauríque propè omnes, alij particulariter de ſingulis quibuſque rebus, ueluti Iulius Pollux, Dioſcorides, C. Plinius, & his ſimiles. Capita cunctarum tamen diſciplinarum quotuſquiſque poſteriorum à Pythagora philoſophiæ theſauro, tanquàm hæres apprehendit, & eam hæreditatem literario ſtudio excoluit, próque peculiari quiſque bonitate ingenij quantum ualuit maxime adornauit, & pro uirili extendit. Sed quid cuncta uel ſcire uel opinari iuuat, ſi non in hac nobis uita omnem adimant mœrorem & cruciatum in altera poſt uacuitatem malorũ non addant cumulatiſſimã omnium bonorũ complexionem,

quæ

quæ tam ſtudioſe didicimus? Quid iuuat deniq; quòd bene ſciendo malefacimus, & malefaciendo nō omnino metu uacare ac ita nullo animi tranquillo ſtatu frui poſſumus? Quid rurſum quòd monitis probe obedientes inſtar iumentorum ſemper iuſſa exequimur, alioqui omnibus in rebus ſtulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, nihil à bruto diſtantes? Quare opportunum uidebatur Pythagoræ omnem philoſophiam ad beatitudinis exoptatæ faſtigium & expeditam ęterni gaudij ſecuritatem deſtinare, quam in cōtemplatione ſummarū & diuinarum rerum collocauit. Eum fructum ceu fœlicis arboris indefeſſa philoſophandi ſtudia noſtra proculdubio ſequuturum putauit, ſi nos prius anima purgata uehementer declinemus à uitijs, & colamus uirtutes diligenter, quo plane nullius mali nobis ipſis conſcij læta mente hilariq; ſtudio mathematicis ſpeculationibus incumbamus, quæ nobis mediæ obuerſantur inter res naturales & diuinas, ſunt enim à materia partim inſeparatæ ut naturalia, partim ſeparatæ ut diuina, circulus nanq; ſeu harmonia quanquam abſq; materia non ſubſiſtit, tamen abſq; materia eſſe intelligitur, quinimmo nullius materiæ agitur cura cum quælibet mathematica tractamus. Cum igitur difficile, ne dicam impoſſibile fuerat intellectum noſtrum ſubito à naturalibus ad ſupernaturalia & ab omnino materialibus ad penitus immaterialia tranſilire, idcirco uoluit Pythagoras diſcipulis ſuis quaſdam res in medium ponere quas & ſenſu aliquo modo poſſent & intellectu comprehendere, demonſtrationesq; illarum ob hāc cauſam mathemata ſeu matheſeis, hoc eſt diſciplinas nominauit, quem uero de ijs librum compoſuerat Eruditionū ſiue Inſtitutionū inſcripſit, quaſi iuuenibus ac pueris aptum, propter quos & id nominis elegit παιδευτικῶν. in quo totum quicquid dici poterat de numeris, de figuris, & de harmonijs explanauit. Inde tanquā ex uno illuſtri fonte quatuor lympidiſsimi riui emanauere, quas nos quatuor liberales artiū facultates appellamus, arithmetica, geometria, muſica, ſane aſtronomiam inter naturalia connumerans pro maxima parte in librum quem appellauit phyſicum coegit, quòd in motu corporū conſiſteret. At quoniam de illis apud quàmplurimos noſtra ætate literarū peritiſsimos, tam lata eſt expeditio, ut quælibet earum rerum ſingularem facultatem faciat, & quælibet facultas propriam claſſem ducat, unamquanq; ſuis pręceptoribus committam, & propter multam modo noctem cœnæq; noſtræ apparatus pręſentes, finem loquendi faciā qui tot uerbis hactenus tolerantiſsimas aures tuas immodeſte auſus ſum obtundere. Tum Marranus, Iuro ſuperos, inquit, tanta me dicendo uoluptate oppleuiſti ut nulla mihi ſit muſa gratior, & nunc cœnæ oblitus omnem pene famem ad doctrinę tuæ cupiditatem retuli, quanquā uideo cauponem circa magnificentiam & ſumptus epularum eſſe curioſum, tu uelim tamen cōtentius reliquam Pythagoræ philoſophiam

explices eam quæ ad uirtutes, mores & reipublicæ induſtriam perti-
neat, idq; utcunq; potes quàm breuiſſime, dum ſtructores cœnaturis
nobis triclinium ſternant, & cætera parent. Igitur audi Marrane om-
nem (Philolaus inquit) hanc partem ſub nomine urbanitatis contine-
ri Pythagoras uoluit, quo circa, unum inter reliqua uolumen compo-
ſuit, quod πολιτικὸν nominauit, id eſt ciuile, ſeu ut fortaſſe haud ſatis
proprie uerterunt Latini, de republica perinde atq; non ſolum expla-
net quæ multitudinem concernant, uerumetiam ſingula cuiuſque ſua
quę morum ſunt & uirtutis. Qui enim ciuitati præficitur niſi dignus ſit
etiam qui domum ſuam regat & ſeipſum quoq;, is plane inauſpicato
eligitur, μέρος δὴν ἄρα ὡς ἔοικε καὶ ἀρχὴ ἡ περὶ τὰ ἤθη πραγματεία ἡ πολιτικῆς. id eſt,
Portio eſt igitur ut uidetur & principium circa mores tractatio, ipſius
politicæ, ut in libro magnorum Ethicorum ait Ariſtoteles. Quæ qui-
dem ciuilitas ex omni uirtutum numero conſiſtit, cuius partes ſunt uir
tute pręditi homines in unam conſuetudinem admiſſi. Nam malorum
conuerſatio non iam ciuitas reputanda eſt, ſed conuenticula ubi uitia
ſunt ſicut inter bonos uirtus, ut Theognis ille Megarenſis in libro ad
Cyrnum. Diſces recte quidem à rectis, at ſi ſociere prauis, tum perdes
teq; animumq; tuum. Omiſſa itaq; contemplatiua ſapientia quam ad
naturam retulit Pythagoras & in librum phyſicum recluſit de princi-
pijs & cauſarum modis, quòd ex Monade indefinita dualitas, ex il-
lis numeri, ex numeris puncta, ex punctis lineæ, ex lineis planæ figuræ,
ex planis ſolidæ figuræ, ex quibus ſolida corpora & ſenſibilis ille mun-
di globus cum ſuis orbibus, mixtorumq; elementis, igni, aere, aqua &
terra fiant orianturq;, ſingula penè (ut ipſe ſolet) per allegoriam obuo-
luta, tum deniq; relictis pariter mathematicis quæ per librum Pædeu-
ticum, hoc eſt de inſtitutione, ſuis oſtendit, recenſendum arbitror ſtri-
ctim quę de moribus docuit, de quibus in politico diffuſius ſcripſit, &
in carminibus aureis inſtar ſummæ contractius. Quę cum ætate noſtra
legãtur publice, nunc ſola proſequar eiuſcemodi ſymbola ſine ſcriptis
tradita ut diſcipuli memoriæ uiribus freti conſueſcerent ad ſigna prola
ta bonis moribus uiuere profeſſumq; philoſophiæ ordinem quotidie
inter ſe arcanis teſſeris affirmare. Quorum è numero haudquaquàm
pauca illuſtris Eraſmus patria Roterodamus profeſſione Theologus,
eloquentiſſimorum noſtro ſeculo facile princeps & dulcis ſiren, cum
ingenti ſua laude quam de politiorum literarum ſtudioſiſſimis qui-
buſque optimo iure meretur, in libris ſuis uel poſteritati admirandis
Adagiorum luculenter expreſſit. In conſequendis ſane uirtutibus Py-
thagoras haud parum conſuetudini tribuebat, adeo in teneris conſue-
ſcere multum eſt. Vnde mores dicti ſunt ἤθη quaſi ἔθη hoc eſt, con-
ſuetudines, quod Stagirita ille ſæpe in ethicis approbat, & noſter ipſe,
iuſſit optimam uitę rationem eligere, illam nanque iucundam (inquit)

reddet

reddet consuetudo. Vniuersam itaque moralem philosophiam ordinabat in tris metas, principio in Dei diuinorúmque cultum. Secundo in singulorum quorumque hominum ad se ipsos respectum. Postrema erga cæteros officium, nam quod ad diuina præstantius attinet, in primis nihil esse gratum superis docuit quod non sit sordibus uacuum & plane purgatum, quare id Adagionis tradidit crebro habendum in ore μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων. id est, non esse libandum dijs de uitibus non putatis. De purissimo quoque adore statuit sacrificia fieri. Vnde est suum illud, Ne sacrifices absque farina. Sacrificium hoc Pythagoricum maxime uetustum est, quod uino & pane fit. Quæ autem Deo dicata sunt, ultra non debent ad humanos usus transferri, admonebat igitur sæpe dicens, A gallo candido abstineas. Perseuerandum uero esse in humilitate ueris adoratoribus hoc symbolo præcepit, καθῆσθαι προσκυνήσοντας. id est, sedere adoraturos, nam quòd in adoratione oporteat circumquaque prospicere, de quo illud ortum est, Adora circumactus, prudentiam circa diuinas preces indicat, ne iure in nos ita retorqueri possit, Nescitis quid petatis. Cæterum quo ad nos ipsos recte uiuendi norma consistit in hominis decoro, quod extremorum est medium, inter abundantiam & defectum, utrolibet enim uitiosus est & mancus & centimanus. Inde symbolum hoc, Stateram ne transilias, præcipit studijs & actis omnibus moderamen adhiberi, apertius autem quod ipse dixit, Salem apponito, id ad affectiones nostras, quæ passiones appellantur, recte pertinet. Est enim sal nota modestiæ, quoniam in cibatu hominis admittitur nec nimius nec minimus, utrunque sane respuitur & quod insulsum est, & quod salsissimum. Igitur Salem ne transgrediaris, prouerbium quoque fuit. Proinde affectiones in nobis passionesq́ uniuersæ quadam mouentur apparentia boni aut mali, bonis lætamur, præsentibus tristamur malis, rursum bona concupiscimus futura, mala timemus. Ergo gaudium & mœror elementa sunt passionũ ex quibus omnes animorũ nostrorum motus oriuntur, quorum rectitudo uirtus dicitur, obliquitas uitium. Apparent tamen sępe nobis bona quæ mala sunt, & econtrario quę bona sunt, uidentur non bona, multũ enim, ut ait Seneca, uerum & uerisimile inter se differunt, quare contingit error facile in imperito uuigo cuius magna copia est. Eum Pythagoras suis discipulis auertere studuit symbolice admonẽs, Per uiam publicam ne ambules, id est ne uulgi sequaris errores. Nam quòd usurpari etiã hoc uolebat, Extra publicã uiam ne uagas, iam insinuauerat loquẽdũ esse ut multi, potiusq́ quod apud omnes cõstat, tu ne impugnes. Vnde istud est, Aduersus solem ne loquaris, ne uidelicet incidas in pericula, quod recte monet illud, Acutum gladium declines. Id fit si honesta uerecundia utaris in publico, cuius hæc nota

est, Aduersus solem ne mejto. Nunc igitur sublato circa bonum & malum errore, temperandum esse statuit uoluptati & mœrori, cupiditati & timori, quare dixit, Risui æque atq; tristitiæ manus non dedendas. Nam gaudijs & uoluptate nos frui secundū harmoniam iussit, hoc est cum honesta quadam temperantia quam appellauit lyram. Vnde hoc symbolū ὡλαῖς χρῆσθαι πρὸς λύραν. id est, cantibus utendum ad lyram, non prorsus inane mysterium fuit, quo semper ante initium soporis utebantur, ne perturbatis molestarentur insomnijs, quæ dum irruissent, surgentes iussit lecti stragula excutere ac cōuoluere, hoc est insomnia glomerare in unum & rejcere, ne rememorata grauarent. De mœrore sic loquebatur, Arctum annulum ne gestato, per quod excluſit cunctum animi dolorem, nisi super admisso peccato, quapropter in suis ita cecinit carminibus, Mala quidē si feceris dole. In cæteris Pythagoras, Corne edendum mādauit, id sic est, ne te excrucies, quin ubi efferbueris in iram Ollæ uestigium in cinere confundito, quod designat ab ira deferuescendum & præteritorū malorum tollēdam esse memoriā. De cupiditate hoc modo, Quæ uncis sunt unguibus ne nutrias, idq; contra manus rapaces constituitur, immo neq; de quotidiano uictu sis abunde sollicitus, quare ait, Chœnici ne insideas, est autem chœnix cibus diurnus, quam uocant præbendam, alij sportulas appellāt. Pariter uero ne ullum auaritiæ in animo tuo reconditę argumentum ostentes, ita commonuit, Quæ deciderint (inquiens) ne tollito, per quod uetuit etiam suarum quemq; rerum nō decere ardentiorem esse amatorem. De formidine ita, Ne reflectas ubi ad terminos perueneris, quo symbolo nō tantum trepidare mortem prohibet, uerumetiam quicquid in fatis est quantumcunq; terreat. Hi nanq; sunt termini definiti & determinati quos transire non poteris. Frustra igitur times quod reflectere aut uitare nequeas, ab eiuscemodi quippe casu nusquam resilire, fortitudinis quidem laudatæ ac egregiæ magnanimitatis est. Enumerauimus perfunctorie notas Pythagoricas. Primum quæ ad diuina pertinent, deinde quę ad homines singulos quosq;. Nunc alter erga alterum quibus moribus utatur, ausculta paucis, cunq; nihil amicitia sit optabilius, incumbit summa post deos cura, uirtute amicos parare ut est in carminibus aureis, tamen nō transeunter quoslibet. Idcirco ipse dixit, Ne cuiq; inieceris dextrā. Et dum penetralibus tuis dignū amicū inueneris, omnium tuorū participem eum facias. Ob eam rem ipse Pythagoras hoc alios ante omneis usurpauit adagiū, Amicorū omnia cōmunia. Timęo & Cicerone attestantibus. Est enim amicus alter ipse, quo fit ut amicitia sit ἰσότης. id est, ęqualitas & eadem anima. Minime autē admittendi sunt in amicitiā homines alioquin interne albi, tamen nigram caudam foris gestantes (experto crede) quibus nihil fert terra pestilētius, picæ mendicę Cyanoleucę cauda inter scapulas nigricante, omnia simulātes

&

& dissimulantes hypocritæ. Dixit itaq; Pythagoras μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων. id est, Ne gustes ex ijs quibus est nigra cauda, ij sunt falsi fratres quos atratos uocant, τὸ γὰρ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μέρεσι μελαίνεται ut scripsit Tryphon grammaticus, id est, Falsum enim in extremis nigrescit. Reliquos leuioris amicitiæ parum utiles siue cognatos siue amicos supra modum nec contemnas nec acceptes. Quod instituit allegoria hæc, Vuguium criniumq; præsegmina nec commingito nec insistito. Neque abest quin omnem ingratum conuictorem & singulos nobiscum susurrones hominesq; garrulos cate uitare iubeamur, unde illud extat, Cohabitantes nobiscum hirundines ne habeamus, porrò amicus consulto recipiendus est, at receptus non facile abijciendus. Frangere nempe amicitiam inhumanum est, quare dixit, Panem ne frangito. Tu uero ita uelis amicus esse, ut amici omnia perinde cures atque tua, cui non blandis uerbis & sermonum fuco placeas, sed studio ueri. Sedes enim amicitiæ ueritas est, non adulatio, propter quod ipse dixit, Oleo sedem ne abstergas. Vtque conciliandus est bonorum amor, sic non est commouenda malorum iracundia, hoc ipsum admonet, Ignem gladio ne fodito. Est præterea uiri boni officium prodesse omnibus, nocere nemini. Nam si uel molestiæ autor, uel oneri imponendo socius accesseris, non profuisse quidem, magis autem grauasse dicéris, ut ita uitio locum dedisse uidearis. Tunc autem uirtuti potius tuæ gratiam mereberis, quum onus deponenti succurras ut leuetur pondere uelocius, hoc illud est quod dixit φορτίου συγκαθαίρειν μὴ δὲ συνεπιτιθέναι. id est, Onus simul deponere, non autem simul imponere: haud secus atque si dicat, ad id coadiuuato, ut homines molestia leuentur, non grauentur. Indignus uero & peruersis uir moribus, sicut non est interimendus subito, ita tibi ueniat minime fouendus. Quare interdixit, Cibum in matellam ne immittas. Eam denique ferocitatem deponamus oportet, ut prorsus nemo sæuiat in quemuis innocentem. Præcepit enim & illud Pythagoras, Mitem arborem non uiolandam nec lædendam. Vnde illud extat in symbolis, Pisces ne gustato. Est profecto piscis animal eiusmodi, quod ipsa natura nullo pacto lædit hominem. Nunc quantum ad Rempublicam attinet adhuc id restat citandum, quod ipse dixit, Coronam ne carpseris, significans legem non uiolandam. Et illud item, In uia ne seces ligna. Quo monemur publica, & quæ sunt uniuersitatis, non esse turbanda. Quàm uero sapientem haud deceat fastus & maiestatis inflatio, publici ue honoris tumor, arcanum hoc symbolum nos exhortatur, A fabis abstinendum. Magistratus enim fabis eliguntur priscorum more. Innumerabile autem desiderat malum quisquis anxie occupatus est in capessenda Republica. Quo magis

gis ne populum dehortando male offenderet, maluit discipulos recondito mysterio tanquam fidus magister ab omni ambitione auertere, ut memoria semper tenerent, uidelicet ὅτι ὁ θεὸς πολιτεύεται. plura horum non dubium est quin Hipparchus & Lysis Pythagoræ auditores memoriter tenentes præcepta doctoris, quæ illi cum cæteris conscholasticis ingenio suo pro libris seruarunt, in auditorio Thebarum prodiderunt. Ea tamen & non omnia uidi, & ad finem properans non omnia perstringere uolui. Hoc unum uolui nescius ne esses & obliuioni haud committeres, omnem ferme Pythagoricam philosophiam esse notis uerborum & tegumentis rerum plenam, eumq; tradendi morem ut antè dixi, ab Hebræis creditur & Ægyptijs ipse ad Græcos primus transtulisse. Solebant enim Ægyptij quibusdam fictis inter sacerdotes literis sacra cõmunicare, ut essent plebi secreta quo & diutius admirationi forent & attentius caperentur. Vnde illi Colossi statuæ, aræ, arcus, & æra publice incisa literis Ægyptiorum sacris, prominebant spectanda uniuersis, sed non nisi mystis & initiatis hieroglyphis intellecta, ut de ijs Chæremon & Orus, Ægyptiorumq; multi scripsere. Sic Pythagoras meus esse non putabat uiri sapientis asino lyram exponere, aut mysteria quæ ita reciperet ut sus tubam, & fides graculus, & unguenta scarabæus. Quare silentium indixit discipulis, ne uulgo diuinorum arcana patefacerent, quæ meditando facilius quàm loquendo apprehendantur. Tum Marranus, Ne, inquit, unus tibi possideas oro Pythagoram mi Philolae, sed nostrum esse patiaris, non solius tuum. Equidem ipse mihi uideor de tuo sermone haud admodum surdus, neque immemor Pythagoristæ euasisse, qui ut cuncta mysteria, metaphoras, ænigmata, sententias, apophthegmata, allegorias, symbola, notas, signa, sacramenta, tanti uiri & omnium primi philosophi quæ tu obiter & perfunctorie catalogi specie recensuisti, commendarem memoriæ, locis Tullianis & Arte rhetorum in te audiendo sum usus. Quin uis periculum faciam. Asseruisti enim si rite recordor Pythagoram tribus uoluminibus omnes philosophiæ partes complexum fuisse physico, pædeutico & politico, id est naturali, disciplinari & morali, quæ moriens (ut alias audiui) filiq; testamẽto mandasse fertur, ne uel extra familiam ederet, immo nullatenus publicaret. Ipse uero dignis tantũ & numero paucis, dum uiueret omnia quę illic continebantur, maxime autẽ mathematica, uiua uoce nullo utens inuolucro plane demõstrauit. Cęteris cętera in parabolis. Ergo aliter loquẽs, aliter sentiens (& si semper idem sapiens) per quędam symbola ceu memoracula doctrinam suam suis impertituseſt, ita ut ad priscorum imitationem aliud dictum, aliud referret intellectum. Ab eo nanq; ut de primis exordiar pro Deo ponitur infinitum & unum, pro rebus incorporeis numeri, pro corporeis figurę, pro mystis harmonia, pro sordibus & peccatis, uites non putatę,

pro

pro eo quod est in uita purissimũ, farina. Gallus candidus nota est deo dedicati. Sedere designat humilitatẽ. Circũactio prudentiã, & hęc quo ad diuina. Istud ad rem priuatã & uirtutes spectat. Statera symbolũ iusticię. Sal notat moderamen. Via publica errores uulgi. Sol ponit loco manifesti & aperti. Acutus gladius significat pericula. Lotium inuerecundiã. Cantus uoluptatẽ. Lyra harmoniam. Stragula lecti, insomnia. Annulus strictus dolorẽ. Esca cordis cruciatũ. Olla ebullitionẽ irę. Vngues recurui rapinam. Chœnix alimentũ. Res decidentes fortunã. Termini fatũ, ista sunt hominis quoad se ipsum, illud iam sequit quod uersatur erga alterũ. Dextra notat amicitiã. Nigra cauda falsos fratres. Vngues & crines symbola sunt propinquorũ. Hirundines garrulorũ, & eorũ qui excedunt ingrati. Panis mysteriũ est ueræ amicitiæ. Oleũ adulationis signum. Ignis iracundiæ. Gladius exacerbationis. Onus molestiam insinuat. Matella figurat indignũ. Arbor mitis hominẽ utilem. Piscis hominẽ innocentẽ. Hactenus de re priuata. Nunc de republica. Corona signũ est legis & regiminis. Ligna uiæ res uniuersitatis, ambitionẽ. Faba demõstrat, omnia symbolica, omnia figurata & allegorica. Quòd nisi plura in discipulis Pythagoræ putares inueniri posse, profecto hęc omnia reducerẽ ad eius uiri mathematicas proportiones, quoniã unum & duo prima progressione fiunt tria. Ecce rempublicã, & ter tria sunt nouẽ, ecce rem diuinã, & ter quatuor sunt duodecim. Ecce rẽ priuatã quoad alterũ, & quater quatuor sunt sedecim. Ecce rem priuatã quoad se. Est igitur respublica trigonus, & res priuata tetragonus, & sicut se habet sedecim ad duodecim, ita se habet duodecim ad nouẽ, singula in proportione hemiolia, hoc est sesquialtera. Vide q̃ docilis te præceptore sum, & q̃ egregie Pythagorisso. Tu uero quẽ meipsum facis? Tum Philolaus, Plane Pythagoreum, inquit, iam enim tibi permitto rumpere silentiũ, satis disciplinarũ habes, si omnia formalia intellectualiter intelligas. Ad hęc Marranus, Ego certè, quid hoc sit ignoro. Dicam, ait ille, Si omnia quæ tibi apparent, à sensu ad mentẽ transferas, hoc est si corporeas passiones omneis reijcias & mentis contemplatione perfruaris. Iam uerbi causa in latissimo campi spacio lõge distantem à te hominem uidere te uelim, tu uero ignorans quid rerum sit existimabis uel agri terminum, uel truncũ esse, habet enim figurã rectam, & materiam tua opinione immotã, propius cum aspexeris, cogitabit in arbusculam succreuisse. Reiecta igitur penes te cementaria mole, uegetare id putas uita plãtæ, tum si motu progressiuo iuxta uos ambo accedatis, cõtinuo arboris forma euanescẽte succurrit tibi animalis cuiusdã imago nesciẽti atq; dubitanti sit ne gryphes an ciconia, uel alia quęlibet ingens auis, bipes enim est. Iamq; factus propior cernis q; caudã & alas non habet, & ambulat erecto capite, mox relinquis omnes formas priores, & formã cogitas humanã. Ergo una cum obuiã fueritis, salutẽ

prior

prior dicis, & respondet iste loquens rationaliter, tum neq; fauni neq; satyri aut alius tibi phasmatis oritur suspicio. Sed plane hominem esse agnoscis uel uicinum uel amicum, quem ubi de parẽtibus suis & propinquis ut fieri solet interrogas, ipse omni quæstioni tuæ satisfaciens recedit. Eoq; discedẽte, solus tecum meditaris hunc hominem & ex parentibus esse natum, & parentes rursum ex parẽtibus, & illos ipsos pariter è semine humano, & semen illud ab homine quodam esse, tandẽq; cum natura respuat infinitũ, uidebitur forte haud admodum impossibile unum aliquem assignare hominem qui fuerit ortus sine semine humano. Ita in 12. libro Postnaturalia scripsit Aristoteles, & eum appellat τὸ τέλειον. id est, perfectum. Cumq; accepto feras dari à philosophis hominem talem perfectum, cuius corpus non sit natum ut cæterorum hominum, tunc discurres per rationem ad hominis animã, semper de perfecta ad perfectiorem & nobiliorem. Eademq; possibilitate arbitraberis concedi quoq; animam certam, non ita creatam ut cæteras animas, sed forte quæ se ipsam concreauerit, & eam esse non solum perfectã aut alijs perfectiorem, uerum etiam cunctarũ quæ fuerunt, sunt, erunt aut fore possunt, perfectissimam: hanc in hominis mortalis corpore sitam separabis à corpore, ac supra reliquas animas separatas (quando ipsa est nobilissima) locabis in nobilissimum non locum sed habitaculum. Nobilissima uero mansio est proxima Deo, quod Stagirita late prosequitur in libro ad Alexandrum de mundo. Illam autem nos in orizonte mundi supersupremi qui dicitur incõparabilis, habitare iudicamus, ubi est unio Dei & creaturæ. Sicut in orizõte ęternitatis ponimus motorem primi mobilis immobilem, in quo mundus corporeus & incorporeus conueniunt. Hac iam uia humanã formam, intellectualiter uertisti in formam separatam, & eandem mentaliter ad æternitatis supremam duxisti mansionem. Vnde omnibus angelis & animabus gratiosis summa instillat beatitudo, & omnes animæ salutiferæ ad eandem animam ceu ad regulam quandam regulantur. Quod utiq; de corpore illo perfectissimo cuius antè meminimus Pythagorice nõ negarem. Nam ipse dixit hominem posse fieri Deum immortalem, per quod sententiam suam clare ostendit, quòd una gloria partem hominis utranq; glorificare possit, & totum hominem facere beatum, quãdo maximus ipse Deus aut utranq; insorbit, ac sua Deitate imbibit, aut animæ committit, ut corpori sublimato claritudinem & glorificationem suam influat, ὡς ὁμοζύγω καὶ ὁμοπορεύτω, συναπογραφέντι τε καὶ συναθλήσαντι. id est, Tanquam cõiugato & uiarum comiti, simulq; censito, & quod simul certauerit. Hoc Pythagoræ dogma repullulauit ab Orpheo, quod in exitu hymni ad Mercuriũ deprehendit. Iam tibi præ oculis pendentem cernis Homeri catenã auream in Iliad. 8. ab Ioue cœlitus fragilitati nostræ demissam in terras, per quam temetipsum ope diuina in sublime leues

cum

cum agendo tum cõtemplando. Necesse nanq; fuerit prius secundum mentem uiuere, post tandem mente contemplari & contemplantem ardenter ascendere, quoniam uita est contemplatione prior, quarum cum utranq; deceat esse puram ad consequendum id quo nihil est purius, certè purgãda prius uita, deinde illuminanda cõtemplatio. Quod igitur in ea quam attulimus rerum à rebus abstractione uidisti, tu id in te ipso experire, ut per rationem ad mentem redeas, & externis te omnibus explices, quod M. Antoninus Imperator imperat, ἅπλωσον σεαυτὸν. i. explicato te ipsum. Oportet enim ex hac uita migrantem in alterã, omne indumentum exuisse ac nudum proficisci, non modo ab omni teria & corporeis appendicijs, uerum etiã ab uniuersa perturbationũ, affectionũ & passionũ mole profugũ atq; liberum, quod scitè admodũ Lucianus Samosatensis in dialogo Charonis & Mercurij omniũ philosophissimo docuit, quem nisi legisti lege & imitare. Quid aliud est obsecro quod Pythagoras in tria diuisit quæ nos in diuinæ uirtutis uestigia ponant, nisi purgatio, illuminatio & perfectio. Sic enim ait, ταῦτα πόνει ταῦτ' ἐκμελέτα τούτων χρὴ ἐρᾶν σὲ, ταῦτα σὲ τῆς θείης ἀρετῆς εἰς ἰχνία θήσει. id est, Hęc labora, hæc meditare, hæc oportet te amare, hæc te diuinæ uirtutis in uestigia ponent, quod Hierocles de uiribus animæ nostræ rationalis æque intelligi uoluit amori diuinorum applicatis, & hæc nos, inquit, Deo similes facient. Verba Pythagoræ consideremus. Tria nanq; posuit quibus iunctis anagogicè possumus ad summã beatitudinem peruenire. Laborem uirtutis quæ in actione consistit, Meditationem quę multis disciplinarum studijs nutritur, & Amorem qui nos ut necessarium uinculum Deo connectit: primnm moralis, secundum naturalis cum mathematica, tertium studiosis theologia ubertim exhibet, nec unum sine altero per se satis est, sed tria hæc conuenire oportet. Id doctè quidem ut omnia Porphyrius, maximus Pythagoricorũ explorator, in libro primo de Abstinentia animatorum, tractat his uerbis quæ ob grauem testimonij autoritatem afferre libuit, οὐκ ἔστιν, inquit, ἡ εὐδαιμονικὴ ἡμῖν θεωρία, λόγων ἄθροισις, καὶ μαθημάτων πλῆθος, ὡς ἄντις οἰηθείη, οὐδὲ συνισταμένη κατὰ τοῦτο, οὐδ' ἐν τῷ ποσῷ τῶν λόγων λαμβάνει τὴν ἐπίδοσιν. οὕτω γὰρ οὐδὲν ἐκώλυεν, τοὺς πᾶν μάθημα συνάγοντας, εἶναι εὐδαίμονας. id est, Non est beata nobis contemplatio, uerborum accumulatio & disciplinarum multitudo, quemadmodum aliquis fortè putauerit, neq; constituta secundum hoc, neq; pro quantitate rationum ac sermonum accipit incrementum. Sic enim nihil prohiberet illos qui omnem congregarent disciplinam fore beatos. Et aliquanto post, ut omittam reliqua breuitatis gratia sic ait, καὶ ἡμᾶς δεῖ ἐντεῦθεν εἴπερ πρὸς τὰ ὄντως οἰκεῖα μέλλοιμεν ἐπανιέναι ἃ μὲν ἐκ τῆς θνητῆς προσειλήφαμεν φύσεως, ἀπρθέσθαι πάντα, μετὰ τῆς πρὸς αὐτὰ προσπαθείας δι' ἧς ἡ κατάβασις γέγονεν ἀναμνησθῆναι δὲ τῆς μακαρίας καὶ αἰωνίου οὐσίας καὶ πρὸς τὸ ἀσώματον καὶ ἄποιον σπεύδοντας ἐπανελθεῖν, δύο μελέτας ποιησαμένους, μίαν μὲν καθ' ἣν πᾶν τὸ ὑλικὸν καὶ θνητὸν ἀπρθησώμεθα. ἑτέραν

δὲ, ὅπως ἐπανέλθωμεν καὶ περιγενώμεθα ἐναντίως ἐπ' αὐτὰ ἀναβαίνοντες ἢ ἐνταῦθα καθήλθωμεν. id est, Et nos oportet hinc siquidem ad uerè propria uelimus redire quæ de mortali assumpsimus natura abijcere uniuersa, cum ipsa erga illa affectione per quam descensus nobis cõtigit, reminisci autem beatæ & æternæ essentiæ, & ad incorporeum ac impassibile studentes ascendere, duas meditationes faciẽtes, unam quidem secundum quam omne materiale & mortale deponamus, alterã autem quatenus reuertamur & redeamus, aliter ad ea ascendentes q̃ hic descẽdimus. Et iterũ post sermonẽ haud ualde multum iubet nos illic Porphyrius à sensu & imaginatione omniq́ irrationali quę sequitur inde conditione, passionibusq́ eiusmodi, animũ penitus segregare, quatenus permittit naturæ necessitas, ritè uerò disponere articulatimq́ cõponere quæ ad mentẽ pertinent, tranquillitatẽ pacemq́ ex bello quod aduersum irrationalitatẽ gessimus parãtes, ut nõ solũ de intellectu & intelligibilibus audiamus, uerum etiam pro uirili simus fruentes eius cõtemplatione, tum in naturam incorporeã translati, tum uiuentes cum ueritate per mentem, non ultra falsè cum corporũ cognatis. Soluere itaq́ multa nobis indumenta debemus, tum uisibile hoc indumentũ carneum, tum ea quibus interius sumus induti pelliceis proxima. Hucusq́ Porphyrius qui ea de re longè plura disserendo prosequitur, omnia istuc tendentia ut per sensibilia ueniamus ad intelligibilis & mentalis boni fruitionem, honestè uiuendo, purè contemplando, & diuinè amando, quę omnia de Pythagora nostro tanquàm è quodam ingenti cunctarum disciplinarum flumine duxit. Ego uerò, Marranus aiebat, ab ijs quæ mihi ordine recensuisti planè in eam moueor opinionem quòd flumen illud suum Pythagoras ex infinito Cabalistarũ pelago cuius felicem nobis Simon nauigationem pollicetur in agros Græcorum limitauit, unde nostra tandem studia irrigare queamus. Ita pares mihi uidentur esse inter se Simonis de Cabalistis & tui de Pythagoricis tam sermones q̃ sentẽtiæ. Nam quid aliud intendit uel Cabalęus uel Pythagoras, nisi animos hominum in Deos referre, hoc est ad perfectam beatitudinem promouere. Quę autem alia uia quàm similis utriusq́ tradendi modus & ambobus ęqua exercitatio per symbola & notas, adagia & parœmias, per numeros & figuras, per literas, syllabas & uerba. Sic hypsilon Pythagorę iuuentutis symbolum extat. Sic prima syllaba Iliados signum est & nota omnium librorum Homeri, quot sint numero in utroque opere. Sic uerbum candidi significat bonum, atri malum. Haud aliter & Simon noster primam Pentateuchi literam, & pentagrãmati mediam ad alias res trãstulit, & Raham, autore Dauid Kimhi, allegorice pro Abraham mutuatus est, & cætera quæ de sermone ad nos habito satis meminimus. Sed audi quanto clamore nos caupo ipse ad cœnaculum uocat, heus ad epulas. Et Philolaus. Equidẽ, inquit, cupiẽter edã, quin imus.

loan-